MARCI MELIORATI A LAVRETO SAMNITVM

De Principijs Vniuersi Tractatus vtilis,

Eiusdem

De vltima Sphæra an sit in loco, vtile examen,

Item

De primo cognito tam apud sensum, quàm apud intellectum. Dilucidatio pulchra.



THEATÆ,

Apud Isidorum Facium, & Socios. 1596.

DD. Superiorum permissu.

ADRIANO
A QVAE VIVAE
CONVERSANI COMITI.

MARCVS MELIORATVS S.

SCit Deus gloriosus, sciunt quoque familiares mei, quàm fuerim semper ego popularis auræ minimè
upidus, & quàm vel ab ipsa vsque
dolescentia vulgi famam omni-
io contempserim; ita tunc dum e-
am paruulus, nescio quo bono ge-
nio monitus; nunc autem factus vir,
quoniam ab experto noui multitudi-

nis laudem ſicut aliquando ad vſus nonnullos viuentibus commodum extitiſſe inſtrumentum, ita etiam quibuſdam nocuiſſe quamplurimu, etenim cupientibus in tranquillo viuere, fructumq. ex ſcietijs capere, his vtique impedimento non paruo eſt apud vulgum fama, vt quæ ipſos à rebus pulcherrimis plus iuſto tranſuerſos auferat. Propterea poſtpoſito ego præcioſo veſtium, aut anulorum ornatu, neglecto ſubſequentiũ comitatu, omiſſa domi ſpecioſa ſuppellectile: derelicta quinetiam quotidiana Potentum ſalutatione, Perſuaciens inſuper illos comitari per vrbem, domum reducere. Cum ipſis in continuus diſcumbere, & denique in eis tum mini-

ministrare, tum iocos, & facetias referre, non sic, quod faciunt plures nostri temporis Medici, quęsiui apud homines esse in extimatione; quoniam vltraquod illa ingenui nō sint animi, neque naturæ studiosi, pro comperto etiam habuerim, magnates nostri tēporis, vt plures, ne dicam omnes, cū se totos voluptatibus abdicarint, voluptatum tantum Artifices, Adulatoresq́. in pretio habere, istis ædium fores patere, omniaq́. plana, & peruia fieri, eosdem insuper ditare, admirari, & eousq; extollere, vt Hystrionum, Scurrarumq́. simulachra secus Deorum imagines conlocent: disciplinarum verò peritos, & qui plurimum sapiunt, rectiusq́. artem callent, tanti

facere, quantum eorum indigent opera, de cæterò veluti pueri, & imprudentes, quod dixit Plato in Gorgia, si ab ipsis esset iudicandum; quisnam potior esset Medicus, an coquus, non minimum præstare coquus Medico censeretur; & ideo non mirum si hodie Sutores, Tinctores, ac etiam Fabri cùm materiarij, tum Ferrarij, proprio magisterio relicto, in Medicinæ artis opera insiliant, quia vident istis adeò blandam esse viuendi voluptatem, vt vnicuique Medicum se profitenti, statim credant, dummodo adulari scire nouerit, à talibus igitur, quasi ex aliqua magna tempestate, & ventorum procellis me subducens, in portum tranquillitatis virtutis secedere

cedere volui, hic diem totum hone-
sto otio transigens, contentus studio
Philosophiæ, nullã hac ratus esse ho-
nestiorem, nec diuiniorem possessio-
nem, quippe optimùm summo rerum
opifici Deo glorioso fieri notus, de-
inde, optimis quibuscumque viris,
qui vitam degunt studiosam. Quo-
rum Tu cum magna pars sis, proinde
coactus, hos paruos labores nuper à
me compilatos prælo dare: non æqui-
dem captãdæ laudis gratia, sed quod
ait Plato, vt ad senij obliuionem
commentarium mihi reponerem. Il-
los tibi bonarum artium summo fau-
tori, defensoriq. acerrimo destinare
decreui, vt nisi ex Authoris nominis
celebritate, modiq. scribendi decen-

tia ipsos à multis sustineri non dubitem, saltim videntes isti librum signatum caractere excelsi nominis tui, desinant loqui, qui volunt illi mala; coganturq́. fateri fieri non posse; vt hic meus liber bonus ex aliqua parte non sit, atque honorabilis, qui te bonorum omnium honorabilium Authorem singularem sibi ducem, & patronum elegit: & vltra non sine bona ratione id factum fuisse iudicabunt ijdem, si relictis ego aliorum Magnatum stagnis, aut perforatis cisternis, in quibus vel pluuiæ aquæ putrefiunt, vel si oriantur, defluunt, ac deperduntur, sitiuerim tantum ad fontem tuæ Aquæ viuæ, quoniam iste oriens ex alto, habẽsq́.

situm

ſitum non ad Auſtrum, aut Boream, neque ad occaſum, ſed ad ortum, fit proinde vt ſol emergens ac illuſtrans, dulcisq́. aura inſpirans, reddat ſitientibus aquam magis ſuauem, atque amabilem, de cuius gratia atque ſuauitate cum guſtaſſem olim, non dicam ſemel, ſed bis ac ter, in perenni flumine Patris tui; intrauerunt adeo eius Aquæ vſque in animam meam, vt pro ſui vbertate irrigatus nimis campus intellectus mei præſtantiorem, ni fallor, quam olim, produxerit fructum, libellum inquam de Principijs Vniuerſi, qui cupiens mundari, iuſſi vt lauaret ſe in ſplēdidiſſimo fonte tuæ Aquæ viuæ, pro comperto habens, quòd ex illius aſperſione, ſu-

per

per niuem dealbabitur, & quòd reuiuiscet liber, qui in ore legentium iam incipiebat mori. Qui soles ergo à publicis negotijs otium nactus, tempus omne in euoluendis antiquorum Phylosophorum libris consumere, sic saltim semel, huic meo libello fauere digneris, summopere rogo. Vale.

M V.

MVTII PANSAE Doctoris Medici.

CARMEN.

SI cupis occultas rerum cognoscere causas,
Quæue parens Natura suo conclusit in aluo,
Nota Deo tantum & metiri legibus astra,
Siq; placet Mundi varios cognoscere casus,
Et iuuat ignotos Diuum lustrare recessus,
Quæ Mare, quæ Tellus, q̃ cõtinet arduus Aether.
Huc agè flecte acies, & quas modo Marcus ad auras
Emittit voces attentis auribus hauri.
Ille nihil mortale agitans pernicibus alis
Naturæ postquam lustrauit claustra latentis.
Alta super conuexa Poli, super alta Tonantis
Tecta volat, cantatq; quibus moderetur habenis.
Ille Orbem, & quæ nostrorum sit cura laborum.
Cælitibus, quæ sit Mundi nascentis origo.

MAR-

MARÇO MELIORATO DOCTORI MEDICO.

Mutius Pansa Doctor Medicus. S.

OPus tuum (mi Marce) de Principijs vniuersi tanta cũ auiditate,& admiratione perlegi, vt nihil mihi gratius, nihil mihi iucundius cõtingere potuisse confitear. Aedepol quæ in arcano sinu Natura recõdidit, quæue altissimis iacent obsita tenebris, in publicam lucem ingenij tui fulgoribus eruisti: itaut paruulo legatur Enchiridio quicquid latebrosa Philosophorum silua complectitur. Altissimum autem erat huiusmodi negotium,& tuo ingenio dignissimum. Etenim & efficientem Mundi causam, & formalem, & finalem, adde & materialem, innumeris penè ambagibus inuolutas concernebat. In quibus explicandis cum Auerroe

no-

noſtro (proh Deus) quanta tu cũ facilitate progrederis, quanta cũ claritate decernis. Quæ autem de Intelligẽtijs abſtractisq́. mentibus, omni profectò materia ſolutis aſſeueras, quæ item de Fato, de Prouidentia, alijsq́. altiſsimis rebus affirmas, Ariſtotelicam adeò ſapiunt energiam, vt nil melius, nil profectò ad Philoſophorum aures accomodatius dici poſſit. Cum ætate igitur noſtra non parum lætor, quod ingenia ab antiquis non diſſimilia produxerit. Perge igitur alacri animo maiora in dies promere, & Samnium noſtrum tui ingenij fulgoribus illuſtrare. Vale. Et me vt ſoles ama. Theatæ.

MAR-

MARCI MELIORATI LAVRETANI

LIBER

DE PRINCIPIIS VNIVERSI,

Ad Ioannem Bernardinum filium.

De intentione dicendorum. Cap. I.

HAbes (Fili mi) pro quo me diù rogasti, in hoc meo paruo tractatu, breui, ac facili sermone declaratum, quomodo Cælum, & vniuersa Natura à suis principijs, causis, atque elementis dependeãt, in quibus seriatim tractandis, volui ab vniuersalissimo, ac nobilissi-

mo entium omnium principio Deo, Optimo, Maximo exordiri: Secundò loqui de intelligentijs causis secundis: Tertiò de suis instrumentis corporibus cælestibus: Quartò ad propinquiora accedendo, agere de elementis: Quintò, & vltimò loco de his, quæ omnino sunt partes rei, puta Materia, Forma, & Priuatione tractare, atq; in his omnibus examinandis, vt vitarem tædium pariter, & confusionē in animis legentium, non curaui omnes scribentiū omniū hic ponere phantasias; sed vtiles, & probatas magis, neque quid omnes super illis dixerint Antiqui; sed quid potissimū senserint Peripatetici, tibi insinuare mihi in animo proposui.

De primo principio Deo glorioso. Cap. II.

CVm tria sint, quæ implent vniuersum, scilicet, Mundus hic inferior, Corpus caleste, & Intelligentiæ, censendum est absque dubio istis omni-

omnibus esse, ac viuere à Deo esse communicatũ, licet, vt ait Arist. 1. cæli text. 100. aliquibus clarius, & aliquibus obscurius, prout rerum naturæ aptæ erant recipere. Verùm cum Deus sit causa, & hæc dicatur de efficiente, formali, finali, & materiali, omnibus modis vniuersum à Deo dependere tuemur, præterquam in modo essendi materiali, hoc enim nullus sani capitis diceret, quandoquidem materia est non ens: Deus verò est maximè ens, & simplicissimus actus. Quomodo igitur Deus sit vniuersi efficiens? quomodo forma, & finis? nunc de singulis dicere aggrediar; & primò de efficientia intelligentiarum.

Quomodo Deus sit efficiens Intelligentiarum. Cap. III.

Q*Voniam hic intendo loqui, vt est in natura hominis, & non vt fideliter credimus, idcirco recepta prius supra caput, omni qua decet*

reuerentia fidei nostræ veritate, dico cum Auerroe 12. metaph. com. 44. contra Auicennam intelligentias verum ipsarum productorem habere non posse: nam cum factio præsupponat non esse rei factibilis. Intelligentiæ autem ad mentem Philosophi nunquam inceperint esse, sed sint æternæ, igitur carebunt vero agente. Additur, quòd cum actio agentis versetur circa extractionem illius, quod est in potentia ad actum, talis autem potentia in æternis reperiri non possit, teste Arist. 9. metaph. text. 17. & ibidem clarius ab Auerroe, quia sic præsupponeretur subiectum, quod actum, & motum agentis reciperet, teste eodem Auerroe 9. metaph. com. 18 & lib. 8. eiusdem com. 15. quo cum intelligentiæ, quæ sunt simplices substantiæ, & puri intellectus, sint priuatæ omnino, idcirco concludendum est, vt prius; aliter sempiternum esset caducum, & necessarium fieret possibile, quod est absurdum asseuerare, Qua re remouenda est omnino talis efficientia ab intelligentijs.

tijs.

tijs. *Neque admitto in istis efficientiam transumptiuam appellatam ab Auerroe, ab alijs simplicem emanationem, quam declarant esse quandam essentialem dependentiam effectus æterni à Deo causa efficiente ab æterno productam, suum effectum natura, non tempore precedentem, sicut fit in vera efficientia, persuasi isti ad sic dicendum ex quibusdam non bene intellectis verbis Arist. & Auer. 9. metaph. tex com. 1. dicentiũ actum, & potentiã in plus esse, quã eorum, quæ dicuntur secundũ verum motum, vt est in rebus transmutabilibus. Nã talis modus agendi Dei, non potest stare cum Arist. quia vt sumitur ab ipso 9. metaph tex. 16. Omnis actio aut est immanens, aut transiens, sed simplex emanatio nulla harũ dici potest: ergo &c. probatur quòd nõ immanens, quia hęc est substantia agentis Dei: propter quod immanẽs fuit appellata modo in illa emanatione, actio Dei transit ad extra nempè ad intelligẽtias, quę sunt aliquid extra Deũ, neq; rursus potest dici transiens, quoniã in hac prę-*

supponitur subiectum, quo Deus nõ indiget, & eò magis reijcitur à Philosopho talis productionis modus, quia non est cõformis sensibus. at ea ratio per Arist. 1. cæli tex. 22. & per Auer. 3. de ani. com. 7. quæ non conformatur sensui, est Sophystica. Vlterius si daretur talis modus producendi, vtiq; Aris. illius meminisset, & maximè in Metaphisicis; nã simplex talis emanatio esset pręcipua Dei operatio, at nullibi legitur de illa fecisse mentionẽ; ergo apud ipsum nõ datur, errant quoque illi, qui dicunt productionem Dei in æternis, esse Deum intelligere, & scire de Deo, iuxta dictum Auerrois 12. metaph. com. 51. dicentis, scientiam Dei esse causam rerum, & ita Deus tanquam obiectum intelligibile intelligentiarum, quod in abstractis realiter nõ differt à substantia intelligentis per Arist. 3. de ani. text. 17. vt sic dicatur Deus producere intelligentias, istud in quam dictum est falsum, & impossibile, quandoquidem si ita esset, eueniret, vt intellectio Dei non esset actio immanens in Deo, sed

tran-

transiens, quoniam per ipsos recipitur in intelligentijs, has producendo. Insuper contingeret Deum esse sui ipsius causam: nam cum per modum obiecti intellecti, Deus sit causa intelligentiæ, & illa intellectio sit ipsemet Deus, cum in separatis hæc non distinguantur, vt dictum est supra, sic Deus esset causa effectiua sui, quod est absurdum dicere. Amplius ad mentem Auerrois præcipuè in paraphrasi metaph. tract 4. obiectum intelligibile est potius forma intelligentis, quam agens, loquendo de separatis, quæ cum semper actu intelligant, ob id non habent opus agente, quod deducat ipsa de potentia ad actum intelligendi, sicut contingit in intellectu nostro, qui cum quandoque intelligat, quandoque non, indiget simili agente, & ita in abstractis obiectum erit potius forma, quàm agẽs, nisi velis appellare agens, quatenus coincidit cum forma. Multo magis errauit Bacconitanus, asserendo intelligentias per quandam resultationem diuinæ intellectionis à Deo emanare, nõ secus quam

ex lumine Solis in collum columbæ resultant diuersi colores, non quòd isti effectiuè dicantur produci à Sole, sed quod per quandam resultantiam sic fiant, ita Deus gloriosus intelligens se, vt imitabilem ab alijs, sic producit intelligentias, licet tanquam finis largiens esse, non terminans motum. Hoc inquàm dictum est quoque impossibile, quia si Deus intelligeret se, vt imitabilem, tunc eius cognitio esset relatiua, quod est expressè falsum, vt elicitur ex Arist. & Auer. 12. metaph. tex. com. 51. & in paraphrasi metaphysicali tractatu quarto. Pendebunt igitur Intelligentiæ à Deo, tanquam ab efficiente, vtiq; sic, sed alio modo, quã supra fuerit dictũ, & nos nunc declarabimus. Pro faciliori tamen dictorum nostrorum notitia est notandum. Agens vltra proprium significatũ, de quo diximus supra, posse amplius dici de agente mouente, quod quamuis vt sic mereatur potius nomen mouentis, q̃ agentis, ex quo immediatè non agit: tamen potest aliquo modo nominari agens saltim mediatũ; qua-

tenus

tenus mediante motu alterãdo agit consequenter, & operatur in vniuerso. Rursus nomina agentis possumus alio modo intelligere idem quòd agens cõseruans, vocatum sic ab Auer. 4. cæli com. 1. ad similitudinẽ forsan veri agentis, quod conatur opus suum conseruare, & tunc dico, quod vtroq; modo poterit dici Deus agens Intelligentiarum; nam dicitur agens mouens istarum, quia mouet ipsas tanquã amatũ, & desideratũ ab eis, vt testatur Arist. 12. metaph. tex. 36. Appellatur etiã agens secundũ similitudinẽ, quatenus est agens conseruãs ipsas, & dum conseruat, putatur illas fecisse, quia vnusquisq; artifex diligit opus suũ, & diligendo conseruat, & dico tibi quod nisi Deus conseruaret entia, vtique oĩa desinerẽt esse, etiã æterna. Unde etsi Intelligẽtiæ non possent deficere per principiũ intrinsecum, quod est causa corruptionis, quia carent materia, meritò cuius res possunt esse, & non esse: tamen possent desinere per ablationem principij separati à quo essentialiter dependent tanquã à causa

extrin-

extrinseca, non secus quam si intellectus noster circumscriberet intelligentiam ab Orbe, tunc quid esset de Orbe, respondet Auer. 2. cap. de substantia Orbis, quòd erit sicut de motu, modò clarum est, quòd nisi sit intelligentia, non erit motus: igitur & neque substantia Orbis, cum in eodem genere causæ dependeat motus, & Orbis ab intelligentia, sicut in caducis forma, & accidentia formæ dependent à suo agente, & de hoc non est dubium in via Auerrois, præcipuè in lib. destruct. disput. 3. ad 5. vbi dicitur, quod dans entium separatorum finem, dat consequenter eis esse, ex quo forma, & finis sunt vnum, & idem in hac specie entium, ergo quod dabit finem istis, dabit quoque formam: illud autem quod dat formam, est agens, igitur dans finem entibus erit simul forma, & agens illorum. Cum autem sit finis intelligentiarum, vt patebit inferius, erit etiam agens illarum, cum finis significet agens significatione necessaria, teste Auerroe 2. cap. de substantia Orbis, quem sequitur Zimara in

sua

sua tabula folio 57. in verbo finis significat, &c. Quod enim pendet à fine, pendet ab ordinante ad finem, tale autem est efficiens, cum propter finem agens exeat in actionem ex 2. phisic. Et immorari amplius in hoc est superfluum, accedamus ergo secundũ ordinem propositum videre, quomodo Deus sit forma intelligentiarum.

Quomodo Deus sit forma intelligentiarum. Cap. IIII.

S*Ine dubio Deus non potest esse forma intelligentiarum eo modo, quo cæteræ particulares formæ sunt dantes esse rebus, quibus sunt formæ: quoniam cum ad mentem Arist. intelligentiæ sint coæternæ ipsi Deo, ex se sunt id quod sunt, & ipsemet sunt sibi formæ, ac simplices actus, neque indiguerunt aliquo alio extrinseco, ad hoc, vt sint, atque subsistant, sed dicitur Deus forma intelligentiarum, eo modo quo intelligibile dicitur esse*

for-

forma intelligentis, etenim cum Deus sit obiectum intelligibile Intelligentiarum, dicitur fieri forma spiritualis ipsis, quatenus sic perficit Intelligentias, instar formæ realis, quæ est vera perfectio entis cuius est forma, quod totũ est de intentione Auerrois in libro destruct. disput. 3. ad 16. secundum quem sensum dixit idem Author 3 de ani. com. 5. Intelligentias esse compositas ex aliquo simile formæ, & aliquo simile materiæ, quoniam intelligibile proportionatur Formæ, & Intelligens materiæ: Unde subdit inferius eodem libro com 14. Intelligentias se inuicem prospicere, ac sibi inuicem esse formas: nam prima est forma secundæ, & sic deinceps, quatenus igitur Deus existens obiectum intelligentiarum, has perficit, sic dicitur esse forma intelligentiarum, & non aliter, aut alio modo. Neque propterea astruo in abstractis non esse idem intelligibile, & intelligens, dum videor ponere intelligibile esse Deum: Intelligens verò substantias abstractas, contra Arist. 3. de ani. tex. 14.

quia non intendo dicere Deum causare intellectum in intelligentijs, sed ad hunc sensum scilicet, quod cum intelligentia secunda à Deo dependeat, & ideo quoquo modo sit eius effectus; in effectu autem reluceat imago causæ, inde fit, vt intelligentia secunda se ipsam intelligens, superiorem quoque intelligat, cum in omnibus intelligentijs exclusa prima, in qua est summa vnitas, sit aliqua multitudo intellectorum, teste Auerroe in libro destruct. disput. 3 ad 28. & proinde dixit idem Doctor 12. metaph. com. 44. contra Auicennam, quod ibi non est prouentus, neque consequutio, nisi secundũ quòd intellectum est causa intelligentis, modo res intellecta est forma intelligentis; ergo Deus erit forma intelligentiarum, vt ab his intelligitur, & de hac re satis, quæramus nunc quomodo Deus sit finis earundem.

Quo-

Quomodo Deus sit finis intelligentiarum. Cap. V.

EST insuper finis quoque Deus Intelligentiarum, sicuti rerum omnium; nam existente ipso quodam diuino bono, & appetibili; idcirco ipsum appetunt cuncta, propter ipsum omnia fiunt, & ad ipsum cuncta hic operata diriguntur, ita vt vnumquodque Deo assimilari, de huiusq; bonitate secundum quod potest, participare conetur, vt fatentur Arist. & Auer. 1. phisic. text. com. 81. quod totum est de ratione finis, eodem Aristotile authore 2 phisic. Quare cum Intelligentiæ mouendo agant, vt se conforment Deo, tanquã amato, & desiderato, vt dicebat Arist. 12. metaph. text. 36. profectò & ipsæ pendebunt à Deo, tanquam à fine, imò vltimo fine, sic vocato ab Auerroe 1. phisic. com. 1. Et cum dixerimus de intelligentijs, quę fuimus polliciti, sequitur per ordinem videre

dere de corporibus cælestibus, & primò; quomodo hæc dependeant à Deo, tanquam suo factore.

Quomodo Deus sit efficiens corporis cælestis. Cap. VI.

PRo *determinatione præsentis quæsiti est sciendum, quod notat Auer. 8. phisic.com. 15. scilicet corpus cæleste esse medium inter generabile, & æternum, quoniam est manens cælum perpetuò quoad sui substantiam, est postea nouū, & generabile quoad sua accidentia, vt sunt motus, & lumen; propterquòd dixit idem Auer. 9 metaph.com. 17. in æternis non reperiri potentiam ad esse, hoc est ad substantiam, sed ad vbi, id est ad motum, in quodam loco, & non in alio, & ad aliquam qualitatem, puta ad obscurationem, & illuminationem, vt patet de Luna, quæ cum est illuminata, est in potentia ad fieri tenebricosam, & exinde videtur aliquo modo cadere sub potentia. Quod autem dico de*

co de corruptione motus in cælo, intelligas tu de particulari reuolutione, quæ fit in ipso quotidie de Oriente in Occidens, & de vno signo in aliud, nō autem de æterna mutatione, quia nunquam timendum est cælum quiescere, ad mentem Arist. 9. metaph tex. 17. & alibi in infinitis locis, in tantum, quod si cælum non moueretur vno momento, destrueretur Vniuersum, & neque cælum, neque Deus essent, vt inquit Auer. in libro destruct. disput. 3. His igitur sic præacceptis, respondeo nunc ad quæsitum, quod si de substantia cæli quæritur, erit huius Deus agens, similiter vt diximus de intelligentijs: nam Peripateticè loquendo, quādo fuit Deus, fuit cælum, & è conuerso, neque inter hæc potest assignari aliqua prioritas temporis, sed naturæ tantum; quatenus scilicet Deus est à se. Cælum verò propter illum, non quia ipsum producat, sed quia det illi existentiam; propter quod dicebat Auer. 4. cæli com. 1. in æternis coincidere agens, & forma, contra quam fiat in vero agente,

in quo

in quo ratio eius est distincta omnino à forma, vt probat Arist. 1. de generat. tex. 55. Erit igitur Deus efficiens corporis cælestis, non verum, & in proprio significatu; sed mouens, & conseruans, & consequenter ab illo dependens, quatenus dans motum cælo, sine quo cælum esse non potest, conseruatiuè dicatur esse agens cæli, per modum arguendi Auerrois in libro destructionum disputatione tertia ad decimum. Et quamuis reliqui Orbes à proprijs mouentibus, tanquam efficientibus dependeant eadem ratione, qua primus Orbis à Deo, cum vnaquæque intelligentia det esse, & permanentiam suo Orbi, vt testatur Auer. secundo cap. de substantia Orbis; tamen causa vniuersalis omnium mouens, & efficiens est Deus. At si de accidentibus cæli intendimus, tunc secus est dicendum: nam cum cælum quatenus est mobile habeat veram potentiam ad diuersa vbi similiter etiam ad lumen, vt supra diximus, sic dicimus, quod respectu horum datur vera efficientia.

Est etenim Deus vera causa efficiens motus diuini, cum per ipsum tanquam immediatum motorem, quod nunc supponimus, educatur Orbis de potentia ad actum motus, secundum quem sensum intelligendus est Auer. in libro destruct. disput. 3. ad decimum, quando ait, Deum esse verum cęli agens, intelligas tu non de substantia cæli, sed de accidentibus ipsum consequentibus, motu nimirum, & lumine, neque de motu absolutè accepto, quia talis est æternus cum suo Orbe, & Intelligentia mouente; & propterea huius non poterit esse Deus verum agens, sed potius secundum similitudinem, quatenus æterno tempore conseruatur ab ipso, sed bene erit verum efficiens particularis motus facti ad diuersa loca, & vbi, vt supra monuimus, & hæc de cæli efficientia sufficiant, quæramus modo qualiter Deus sit forma, & finis eiusdem, quod patebit in sequenti capite.

Quo-

Quomodo Deus sit forma, & finis corporis cæleſtis. Cap. VII.

QVomodo Deus ſit forma, & finis corporis cæleſtis videtur ſuperfluum hic repetere, poſtquam ſupra eſt oſtenſum, ipſum eſſe vltimum finem rerum omnium, cum omnia ſint per illum, & dirigantur ad illum. Amplius eſſe primam formam, quoniam cunctis rebus ab illo communicatum eſt eſſe, quarum vna, cum ſit corpus cæleſte; ergo & ipſum ſecundum ſui ſubſtantiam pendebit à Deo, tanquam forma, & fine, non obſtante, quod vnuſquiſque Orbis pendeat à propria intelligentia tanquam particulari forma, & fine: Siquidem Deus eſt vniuerſalis forma, & finis omnium: imò etiam agens, vt concluſum eſt ſupra, ita vt neque ſecundi motores mouerent Orbes ſuos, niſi primus motor Deus glorioſus mouendo concurreret ad illorum motùm, iuxta illam ſenten

tiam, quæ ait: quòd causa superior plus influit, quam inferior. Et iterum aliam scripturam, quæ ait: Quòd quicquid potest, & facit causa inferior, potest, & facit causa superior, & perfectiori, nobilioriq; modo. Est igitur Deus causa agens, formalis, & finalis, corporis cælestis, sed modo superius declarato.

Quomodo Deus sit efficiens mundi inferioris. Cap. VIII.

PAriter in mundo, sicut & in corpore cælesti, possunt considerari ęternitas, & corruptio: siquidem mundus in se simul totus consideratus, non productus, non factus, sed est æternus, tàm à parte ante, quàm post, ad mentem Arist. similiter aliquæ eius partes, vt sunt species omnes, sunt æternæ secundũ totum, corruptibiles autẽ secundum partem. Materia prima quoq; & quatuor elementa, quandoquidẽ nullũ elementorum, neque ali-

qua species hic existens, vnquam omninò perimit, licet partes elementorum dum veniunt in mixtionem, generentur, & corrumpantur, similiter indiuidua specierum fiunt continuò alia, & alia, vnde perpetuantur species, & consequenter ex his constans mundus redditur sempiternus, cũ quibusdam accidentibus ipsum consequentibus, sicuti sunt motus, generatio, & corruptio. Cætera autem quæ in mundo continentur, sunt vtroque modo generabilia, & corruptibilia, ita vt quamuis mundus hic inferior secundum se totus sit æternus; est tamen secundum partes generabilis, & corruptibilis ad aures Philosophi, quibus sic notatis dicimus nunc cum Arist. Deum gloriosum esse causam efficientem mundi, & partium eius in sua æternitate consideratarum, non per modum veri agentis, sed secundum similitudinem, quatenus conseruat illum, & singulas eius partes tempore æterno, & rursus dicitur Deus agens mouens, &c. quatenus per motum

 simul

simul cum causa secunda concurrit ad educendas res de potentia ad actum: nam non sufficit ad producendos effectus agens apud nos existens particulare, nisi etiam vniuersale concurrat influendo suo motu, quod est Deus, cuius illud est instrumentum, teste Auerroe 8. phisic. com. 47. modo instrumentum, vt experientia testatur, nihil potest operare sine artifice prius illud mouente ad hunc, vel illum effectum causandum. Artifex autem est cælum, cum sua intelligentia mouente, vt notat idem Auer. loco mox citato, præcipuè prima intelligentia, quæ est Deus, erit igitur ipse principalis artifex horum inferiorũ, educens totum, puta mundũ, de non esse, ad esse huic tribuens vnitatẽ, compositionem, & ordinem, sine quibus mundus esse non posset, authore Auerroe in libro destruct. disput. 3. ad secundum, & infra ad decimum: non quia totum simul mundum Deus producat, cum sic sit æternus, vt dictum est supra; sed quatenus partes eius continuò facit, atque innouat secundum

quam

quam partium nouitatem, non solum secundum accidentia, sed etiam secundum substantiam iterum consideratus mundus, quia vt sic includit potentiam contradictionis, potest etiam dici Deus verum agens illius, quatenus facit exire partes mundi de potentia ad actum, modo supra declarato. Verùm cum fateatur Philosophus Deum eduxisse mundum, tuetur etiam id fecisse ab æterno, & non in tempore, sicut credimus, & bene nos Christifideles, namque contendit Arist. 8. phisic. tex. 15. ab æterno, & immobili qualis est Deus, aliquod nouum proficisci non posse sine medio, præsertim cum non possit assignari ratio vrgens, quare nunc, & non prius antiqua Dei voluntas exierit in nouam actionem, & si replicabimus nos, non debere videri mirum, si voluntas noua postponatur tempore voluntati antiquæ, quia deficit præsentia temporis, quo elegit Deus producere illud, & quia voluntas Dei antiqua pendet cũ voluntate noua in hora determinata; propterea fa-

ctum fuisse, vt in illa temporis plenitudine in qua Deus determinauit producere, tunc produxit, & non prius, & proinde non cadere mutationem in Deo, vt arguit Philosophus, quia semper mansit Deus in eadem voluntate producendi, vsque ad horam stabilitã in mente sua diuina: Responderet Philosophus hæc dicta esse nullius momenti, & primò: quia, vt inquit Auer. 8. phisi. com. 15 sequeretur præsentiã tẽporis esse causam in Deo, vt producat mundum, & consequenter Dei actionẽ pendere à tempore determinato, quod est falsum, teste eodem Auer. lib. destru. dispu. 1. ad 26. vbi ait, esse Dei nõ posse adæquari à tempore, neq; comprehendi ab extremitatibus eius, quare & neq; suã actionẽ, cum talis sit actio, qualis est natura à qua fluit, teste eodem Auer. ibidem ad 3. Amplius poneretur maxima diminutio in actione æterni Dei, si dicatur ipsam esse finitam, & terminatã in actione innouati, vt arguit idem Author loco mox citato, præsertim cum impossibile sit in agente æterno,

quod

quod ante istam actionem, quæ emanauit ab eo in præsenti tempore, non fuerit alia actio prior, & ante hanc rursus alia, & sic procedat hoc in intellectu nostro in infinitum, sicut esse Dei agentis procedit in infinitum, nisi dicatur Deum æterno tempore fuisse otiosum, quod repugnat principijs naturæ, in qua nihil est frustra, & otiosum, teste Arist. 2. cœli tex. 50. & 1. eiusdē tex. 32. Amplius si fuit abbreuiata manus Domini ad producendū nunc, & non prius, id fuit ex aliquo impedimento, nimirum vel ex parte sui, vel ex parte rei producibilis, aut ex parte modi producendi, aut tandem, quia noluit producere, sed non potest dici primum, quia etiam ad mentem Auer. in lib. destru. dispu. 1. ad 26. Deus non deficit vnquam esse potens in actione, neque potest dici secundum, quia quod conuenit vni pro vno instanti, conuenit etiam & in alio, sicuti quod repugnat pro vno, repugnat quoq; pro alio, quare si mundo non repugnauit in hac temporis differentia à Deo produci, neq; prius potuit

tuit repugnare, neque rursus tertium obstare potuit, quia idem fuisset nunc, quòd prius, cum in tali Dei productione non requiratur aliqua dispositio in subiecto passo, ita in vna temporis differentia, quod non in alia, merito cuius operationes agentium naturalium fiunt in tempore determinato: propterquod dicebat Arist. 2. de anima tex. 24. actus actiuorum fieri in patiente bene disposito, modo non est sic de modo agendi supremi agentis Dei, neque tandem potest dici vltimum, quia id derogaret Dei bonitati, & sic Deus non esset simpliciter bonum, ac perfectissimum ens, nam cum de ratione boni sit esse communicatiuum alijs, si Deus æterno tempore antequam produxisset mundum, noluisset hunc producere, noluisset pariter suam bonitatem cęteris entibus impartire, quod esset contra decentiam summi boni, quale est ipse Deus. Insuper si inueniretur tempus cum illa voluntate Dei antiqua, in qua elegit producere mundum, tunc contingit quærere de factura illius temporis,

poris, quia cum tempus non erat prius, indiget tempore, in quo illud debebat fieri, nisi dicatur tempus semper fuisse, quod repugnat dicere, sine his quæ motui, & tempori subiacent, præsertim cum tempus sit mensura motus per Arist. 4. *phisic. modò mensura, & mensuratum sunt eiusdem rationis quoad permanentiam, & esse, vt elicitur ex Arist. ibidem tex.* 119. *neque valet dicere tale tempus esse imaginarium, & non reale, quoniam quantitas realis vera, & positiua qualis esset ille motus, debet metiri quantitate vera, reali, & positiua: vnde si tempus, quod est mensura, semper fuit, pariter motus, & mundus, qui sunt res mensuratæ, semper fuerunt, tandem fieri non potest, quin aliqua mutatio caderet in Deo, si dicatur in tempore produxisse mundum, quia appetitus ille, qui facit mouere apud præsentiam temporis electi ad producendum, necessariò est nouus, & cum nouitate temporis, & nõ antiquus, vt arguebat Auer.* 8. *phisic. com.* 15, *at legitur in Scripturis: Sum Deus, &*

non

non mutor. Quare concluditur apud Philosophū, mundum aut nunquam incepisse, & consequenter nunquam deficere, aut si fuit productus, decentius fore arbitrari, ab æterno Deum illum produxisse, & eò magis, quia esse mundi longe melius est, quā non esse. Agens autem eligens de duobus oblatis semper eligit melius pro finis consecutione teste Arist. 3. ethic cap. 5. quo electo statim illud mandat executioni, præsertim remotis impedimentis, vt visum est supra: docet igitur natura, & humana ratio cōtra nostram Christianā veritatē, quod si Deus æterna electione, & antiqua volūtate elegit, ac voluit producere mundū, de facto sic illū produxit, postquā nihil est, quod eius voluntati refragari possit, & vltra, quia secus dicēdo, quæreret curiosus intellectus de esse vbi Dei in illa priori æternitate anteaquā produxisset mundū, & nōdū cæli facti erāt, neq; terra firmata, quæstio ir.q̄ vana prorsus, si ponantur hæc ab æterno coexistentia cum Deo glorioso, & illa ab hoc depēdere modo supra declarato.

Quo-

Quomodo Deus sit forma, & finis mundi. Cap. IX.

IAm dictum est supra ex Arist. 1. cæli tex. 110. Deū gloriosum dare esse omnibus entibus. Vnde cum partes mundi existant, & ipsum existere sit à forma, teste eodē Philosopho 2. de an. tex. 37. igitur pendebit quoque mundus à Deo, non solū, vt est efficiēs, sed veluti forma: prima tamen & vniuersali, cuius reliquæ secūdę formę, & tertiæ proximæ sunt instrumenta, quibus mediantibus res cōstituuntur in proprio, & distincto esse: vnde quāuis distinctio in effectibus à proxima forma sit petēda, tamen prima forma, q̄ est Deus est illa quæ principaliter, & maximè influit, ita vt sine ista cæteræ formæ nihil præstarēt, propterquod dicebat Auer. 9. metaph. com. 2. in actione cuiuscunq; formæ cadere rationē primæ formæ. Rursus pendebit mundus à Deo tanquam vltimo fine, quoniā oīa naturæ

con-

conſtantia gratia eius operantur, vt ipſi ſimilia fiant, ſiquidem naturaliter omnia bonum appetunt præcipuè maximum bonum, & appetibile, quod eſt Deus, vt dicebat Ariſt. 1. phiſic. tex. 81. fiunt autem ſimilia Deo hæc inferiora, quatenus mediante generatione, participant de æternitate, quæ eſt operatio ſola magni Dei, etiam authore Ariſt. 2. cæli tex. 17. Quare cum finis ſit id, cuius gratia cætera agunt, & totus mundus inferior, atque eius partes propter Deum agant, ſequitur, vt ab iſto, tanquam optimo, ac vltimo fine pendeat mundus totus, & coniunctim, & diuiſim, & cum hæc omnia declarauerimus de Deo benedicto, volo vt examinemus, quomodo viri Philoſophi potuerunt pertingere ad eſſe iſtius primi principij, quod explicabimus in capite ſequenti.

Quo-

Quomodo Philosophi cognouerunt Deum esse primum efficiens, primam formam, & vltimum finem vniuersi.
Cap. X.

Quomodo viri Philosophi cognouerint, quæ diximus de Deo glorioso, dico quòd multiplex fuit de talibus apud ipsos apprahensionis via, & prima: quia videntes ipsi in nullo genere causarũ dari progressum in infinitũ, vt probat Arist. 2. metaph. à tex. 5. vsque ad 13. sed in omni genere reperiri vnum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt sub illo genere, vt elicitur ab eodem Philosopho 10. metaph. tex. 7. ob id sapientes huius mundi in agentibus posuerunt vnum primum agens, in formis vnam primam formam, & in finibus unum ultimum finem, sed notandum, quod quamuis dicta nomina uideantur importare diuersa: tamen hæc omnia attributa coincidunt in

Deo

Deo primo æterno, & sit tantum variatio in nostro considerandi modo, quatenus scilicet entia mundi huius variè considerantur à nobis dependere ab illo primo ente diuino, & immortali, vt supra est declaratum. Secunda via fuit bonitas reperta in rebus, secundum magis, & minus: nam & in hac dictat ratio humana esse opus deuenire ad vnum perfectissimum ens, quod existens maximè tale, sit causa omnium huiusmodi in illo genere bonitatis, & perfectionis. Tertia via potuit esse actio naturalium agentium, quæ inspicientes Philosophi rectè, & sine cognitione agere propter finem, dixerunt Auer. & Them. hac dirigi ab intelligentia non errante, Deo glorioso. Quarta via fuit desumpta à causa, & causato; nam inspicientes Philosophi res in dies continuo produci, ceperunt facere quæstionem de re producta, an scilicet sit facta à se, vel ab alio, & videntes quod non à se, quia nihil seipsum producere potest, neque à nullo, quia quod facit est, quod autem fit

non

non est, proinde concluserunt ab alio fieri, & quia in tali causa poterat iterum insurgi quæstio, an sit causata, vel ne, & sic abire in infinitum, hinc Philosophi posuerunt vnam primam causam à nullo alio productam, sed ipsam cunctis rebus dare esse, ac viuere, pro ipsarum capacitate. Quinta via fuit motus nouus, quo mediante conclusit Arist. octauo phisic. tex. 45. & 46. dari mouens primum, quod sit causa quare entia possibilia secundum successionem perpetuentur, pariter dari ens necessarium primum, postquam neque in necessarijs contingit ire in infinitum, qua via etiam vsus fuit Auer. in libro destructionum disputatione octaua ad primum: & dixit illam esse firmam. Hæ fuerunt potissimæ viæ, quibus fuerunt manuducti Philosophi in cognitionem primi principij, & pro diuersitate viarum vocarunt istud modo primum agens, modo primam formam, & modo vltimum finem: & rursum, aliquando summum bonum, aliquando primam causam, &

aliquando primum motorem. Verum quod tale primum principium sit separatum à materia, sola motus æternitate noscere potuerunt, nanque aliæ viæ (iudicio meo) sunt imbecilles, insufficientes, ac petentes principium, vt etiam clarè fatetur Auer. 12. metaph. com. 5. & in libro destruct. disput. 3. ad 18. Nam non à motus nouitate, quia nouum indicat de nouo agente, & non de æterno, qualis est Deus, neque quia sit infiniti vigoris, & ex nihilo cuncta producens, quoniam cum hæc non sint media naturalia; idcirco non admittuntur in Philosophia. Neque rursus si dicatur Deum non habere magnitudinem, potest exinde statim concludi, ipsum esse separatum à materia, vt videtur arguere Arist. 8. phisi tex. 78. quia non habere magnitudinem, & esse separatum à materia, sunt idem, & vnum connotat reliquum, vnde sic demonstrare, esset petitio principij, & veritas ambarum istarum propositionum, non nisi ex sola motus æternitate haberi potest, vt patet ex Arist. 8. phisic.

phisic. à tex. 78. vsque in finem, quando in vltimis verbis concludens, ait: quoniam primum mouens mouet motu perpetuo, & tempore infinito, inde fit manifestum, quod est indiuisibile, ac nullam habens magnitudinem. Vbi vt vides Arist. ad euidentiam istius propositionis, putà Deum non habere magnitudinem, accipit æternitatem motus, quod facit pariter in Metaphysicis, vt patet exercitato in eius doctrina, & confirmatur idem, quia si actio per Auer. in libro destruct. disput. 1. physicali ad tertium: facit cognoscere formam, & actiones immediatè fluentes à Deo, non sint nisi intelligere, & semper mouere, clarum est per primam nos solum cognoscere Deum esse intelligentem, non autem formam separatam, imò potius, quia & sic dicimus ipsum esse maximè intelligentem, quare restat, vt per secundam actionem, quæ est motus sempiternitas ostendatur tanquam per vnicam, & singularem viam, quomodo primum principium sit separatum à materia. Hæc dicerent

Philosophi de primo principio vniuersi Deo glorioso, & quod cognouerunt ipsum esse tale, vijs mox explicatis.

De prouidentia Dei in vniuerso ad mentem Philosophi. Cap. XI.

CUm principalis Artifex vniuersi sit Deus, vt visum est supra, & vnusquisque Artifex diligat opus suum, diligendo conseruet, ac conseruando tueatur, ei prouidendo: idcirco absque dubio censendum est, Deum prouidere æternis, & gubernare caduca, ita vt auferre prouidentiam à Deo, dixerim ego esse idem, quod velle, & frustra, auferre dulce à melle, & album à niue. In qua re errarunt Epicurei errore manifesto, dum credentes Deo aliquid magis tribuere, puta auferre ab ipso laborem, & tedium, tanquam prouidentiæ Comites, dixerunt illum stare otiosum in sede sua, non animaduertentes isti stulti, & insensati, quòd

sic

ſic dicentes, faciunt Deum non bonum, & quod prouidentia Dei ſit ſimilis prouidentiæ humanæ, vtrumque falſum, & inconueniens; nam cum Deus ſit ſummùm bonum, & de ratione boni ſit eſſe communicatiuum, quomodo Deus ſe communicaret vniuerſo, ſi de hoc nullam curam gereret? præſertim cum prouidentia Dei nullum admittit laborem, aut paſſionem: imò potius ſummam perfectionem, & gloriam infinitam, quia eſt, & fit cum ſimplici intuitu, & non ſicut prouidentia hominis, cum diſcurſu, & conſilio, veriori nomine appellata potius prudentia, quam prouidentia. Hanc veritatem cognouerunt præſtantiores Philoſophi, ſiquidem Ariſt. decimo ethic cap. octauo, annuit Deum habere curam rerum humanarum, primo metheor. cap. 1. dicebat mundum inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe contiguum, vt omnis eius virtus inde gubernetur: vnde ſi mouet Deus, dicebat ſecundo de gener. tex. quinquageſimo ſexto id fieri ab eo propter conſeruationem

horum inferiorum, in tantum quod si Deus non moueret vno momento destrueretur uniuersum, Scribit Auer. in lib. destruct. disput. 3. hoc idem melius declarauit Plato in pluribus locis, præcipuè autem in Dialogo decimo de legibus. Verum qualis sit ista prouidentia Dei, an æternorum, an corruptibilium, uel amborum simul, & si cunctorum, utrum in uniuersali, an in particulari discordes fuerunt Philosophi ad inuicem; siquidem aliqui dixerunt, esse tantum æternorum, tam in esse vniuersali, quàm in particulari, quia cum cognitio Dei sit stabilis, & firma non poterit prouidere caducis, cum hæc de sui natura sint instabilia, vnde concludunt isti de æternis tantum Deum esse sollicitum. Quidam alij, & melius dixerunt, nequaquam ita esse; nam cum æternis non possint accidere occasiones, quid faciet cum eis prouidentia diuina, & proinde voluerunt Deum curare mortalia, quæ continuò periculis subiacent, vt tamen habent dispositionem conuenientem speciei,

aliter

aliter, non est fas bonitati diuinæ, vt inquit Auer. 12. metaph. com. 37. Quoniam cum particularia continuò generentur, & corrumpantur, sic in Deo, aut caderet mutatio, quod est falsum, vel si sit stabilis talium in Deo notitia tolletur libertas ab homine, & contingentia à rebus: etenim cum Deus determinatè, & infallibiliter cognoscat, putà Socratem ambulaturum, de necessitate ambulabit, & sic tolletur libertas à Socrate, & contingentia ambulandi, quod est erroneum asserere. Amplius, vt inquit Auer. de mente Alexandri in fine quarti tractatus, epithom. metaph. quo pacto Deus poterit habere nouas notitias particulares, cum sint infinitæ. Vltraquod, vt subdit ipse, cogimur ponere in Deo impietatem, & iniustitiã, quoniam si Deus procedit via regitiua circa indiuiduum, quomodo patitur malum, dum Deus regit ipsum, quasi velit dicere id fieri non posse, cum à Deo non fiat nisi bonum, malum autem ex necessitate materiæ, vt ibidem testatur Auer. Insu-

per arguunt isti, quòd sicut nō licet Imperatori curare de omnibus rebus domus suæ, ita neq; principali Imperatori Deo glorioso conuenit habere curā de mortalibus in esse singulari, aliter vilesceret in curatione illorum, vt assumebat Arist. 12. metaph. tex. 51. quinimò intellectus diuinus esset generabilis, & corruptibilis, vt deducit Auer. in lib. destruc. dispu. 3. ad 28. quia cum ex intellectu, & intelligibili verius fiat vnū quam ex materia, & forma, vt idē testatur Author 3. de an. com. 5. si Deus intelligeret singularia, quæ sunt corruptibilia, etiā Dei intellectus corrumperetur, neq; obstat dicere intellectū diuinum cognoscendo vniuersale, cognoscere quoq; particulare, ex quo illud colligitur, quod notum esse oportet, quoniā hoc facit sensus, non intellectus in nostro cognoscendi modo, & nō diuino, & quando replicatur vnam esse virtutem oppositorum cognoscitiuam, sicut albi & nigri, calidi & frigidi, dicas assumptā propositionem esse verā in exemplis adductis, & suis similibus, tum quia

talia verè opponuntur, cum quia illorum vna à primo ordinante est constituta cognoscitiua virtus, ad hoc vt perfectè iudicet de suo opposito, modo non sic contingit in casu nostro: nam vniuersale, & particulare nō propriè opponuntur, sed largè, & secundum quandam denominationem, neque rursus vna apta nata est virtus pro cognitione vniusque, sed diuersa, quia vt dixi, singularis est sensus. Vniuersalis verò intellectus, neque sensus cadit in comprehensione Dei. Hanc sententiā secutus fuit etiam Alex. in suo lib. de fato, tribuens eā Aristoteli, & magnifaciunt isti hanc suam opinionem, quoniam ex hac non tollitur libertas ab homine, nec contingentia ex rebus, ex quò hæc sunt effectus singularium, quæ Deus non dignatur cognoscere, & consequenter curare, nisi in esse vniuersali, vt dictum est supra, aliter diuina prouidentia, & libertas pugnarent ad inuicem, vt dicebat Boetius quinto de consolatione philosophica. Sed huic opinioni contrariantur Simplicius,

plicius, & Ioannes Grammaticus, volentes isti grauissimi viri Deum cunctorum habere curam tam in vniuersali, quàm in particulari, quod autem ita sit, astruunt; primò quia Deus per se est causa singularium; siquidem cæteræ causæ virtute illius operantur, vt dictum est supra in Dei efficientia, quare Deus de singularibus habebit prouidentiam, postquam ipsorum est causa. Secundò diuina prouidentia respicit res mortales secundum substãtiam quam habent in rebus, sed mortalia habent esse, & subsistentiam in singularibus, ergo Deus prouidet singularibus, maior patet, quia Deus respicit res, vt sunt, igitur vt subsistunt eis prouidebit, minor patet de se; quoniam clarum est vniuersale non habere esse subsistentiæ nisi in singularibus, vnde dicebat Arist. in prædicam. cap. de substantia, quòd demptis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum remanere. Tertiò cognitio singularium in esse vniuersali est confusa, & imperfecta, in seipsis verò est clara, & perfecta, modò in

Deo nulla est ponenda imperfectio, quare vel est dicendum Deum omnino non cognoscere hæc inferiora, & consequenter istis non prouidere, quod est falsum, vel illum, non solum in uniuersali, sed etiam in particulari mortalia prospicere, & istis prouidere. Quæ opinio potest etiam roborari rationibus sumptis ex D. Thomà in libro cõtra Gentiles. Siquidem clarum est Deum se cognoscere distinctissimo modo, ergo sciet se esse primum principium, & primam causam, si sic; cognoscet etiam principiata, & causata, quæ sunt ipsa singularia; nam per Arist. in prædicamẽntis cap. de relatione. Relatiua, sicut sunt causa, & causatum, principium, & principatum, sunt simul natura, & intelligentiæ. Præterea cognitio comparatiua præsupponit notitiam extremorum per Arist. 2. de ani. tex. 115. vbi ait: quòd ponens differentiam inter duo, debet cognoscere vtrumque, tunc diceret Simplicius sic. Deus cognoscit se esse perfectiorem cunctis rebus, ergo cognoscit se, & res, quibus sit compara-

paratio, sed res illæ sunt singulares, igitur Deus cognoscet singularia. Insuper ordo, & distinctio corporum non est temere, nec à casu, quia est semper, quare ab aliquo erit immediatè talis ordo, sed nõ potest esse à natura: nam hæc determinatur ad vnũ, talis verò ordo est ad plura corpora, vt patet, ergo erit à Deo, quare Deus compræhendet talia corpora. Amplius scientia Dei est causa rerũ per intellectum, & suã voluntatem, ergo Deus intelligendo, & volendo producit res mortales, & cõsequenter istas cognoscit, postremò intellectus apprehendens cõtinens, apprehendit etiã contentum, sed Deus comprehendit seipsum, qui omnia continet, ergo omnia cognoscit, ac singulis pro exigentia prouidebit, & in tantũ ampliauit Simplicius hanc Dei prouidẽtiam, circa hæc inferiora in esse signato, & particulari, quòd voluerit etiam monstra cadere sub ea: imò simpliciter omnes effectus, quamuis causales non fieri nisi nutu Dei. Quod etiam visus est prius affirmasse Plato in thimeo dum dixit:

Cum

Cum non possit mundus fieri melius, quàm factus sit, nec melius regi, quam regatur; idcirco necesse est dicere, cum videmus mala esse in hoc mundo fateri ipsa esse ad decorem vniuersi, & non dubitare cum Pithagora, si Dij sunt, vnde mala, & si non, vnde bona, & exinde cum Manichæis ponere duos Deos, vnum ad producendum bonum, alterum ad malum, vt refert Auer. 12. metaphy. com. 52. in fine: similiter voluit Simplicius contingentia sciri à Deo determinatè, & nõ contingentia contingenter fore, sed bene ipsum scire futura contingenter, quia res vt sunt: ita à Deo compræhenduntur: neque proinde imponit necessitatẽ rebus; cui opinioni fauens diuinus Plato, dicebat dialogo 10. de legibus. Cauendum est ne Deum mortalibus opificibus viliorem faciamus. Siquidem Medicus totum corpus curare intendens, non solum magnis prouidet affectibus, sed etiam paruis, vt benè corpori in totum se habeat. Similiter Imperatores, ac Ciuitatum moderatores non

rectè

rectè ingentia gubernabunt, si parua neglexerint in Ciuitate: nam & lapides magni sine paruis benè strui posse negant Architecti. Quare Deus gloriosus existens maximus Opifex, & Architectus vniuersi, tam magnis, vt sunt æterna, quàm paruis, sicut sunt caduca, prouidebit omnino, postquã hæc oĩa sua est possessio, ac fundus suus, vnde subdebat infra Plato: nunquam, ò homo, à Deo negligeris, nec si ita paruus sis, vt in profundum ingrediaris, nec si adeò sublimis fias, vt pennis elatus, in cælum voles, sed conuenientia supplicia dabis, siue hic manens, siue ad inferos profectus, aut ad remotiorem aliquem, inaccessibilemq́; locum sis translatus, secundum quam sententiam, quæ est etiam nostrorum Theologorum, possemus respondere positis superius in oppositum à parte aduersa, & primò non sequi mutationem in Deo ex variatione singularium in esse suo, sicut neque columnæ esse à destris, aut sinistris, nisi in respectu sedentium apud columnam, neque tollitur libertas aut

contingentia in rebus ex certa horũ Dei cognitione, quia hæc possunt stare inuicem, vt apparebit inferius: neque obstat secundum, puta Deum non habere tot notitias particulares, cum sint infinitæ; quia cum intellectus diuinus sit infiniti vigoris, proinde nullum sequitur absurdum, si infinitum comprehendatur ab infinito. Ulterius non sequitur Deum fieri iniustum, quoniam mala permittuntur à Deo multoties propter bonũ inde futurũ, neq; rursus vilescit Deus in cognitione rerum singularium, quæ viles sunt, quia eius cognitio non est sicut nostra abstractiua à rebus, sed intuitiua rerum, quemadmodum in producendo res mortales non vilescit, vt etiam ipsi concedunt, cum per eandem rationem productio rei vilis, deberet esse vilis: etenim Dei intellectio non terminatur in creaturis, tanquam in proprio obiecto, quia Deus non habet esse subsistentis, sed essentiæ tantum, & ideo potest esse sine creaturis, & habebunt istæ esse in Deo, sicut habet cognitũ in suo cognoscente, ne-

que

que tandem sequitur intellectum diuinum generari, & corrumpi in cognitione singularium, quæ sunt corruptibilia, quoniam id sequeretur, quando scientia Dei esset causata à rebus, sicut contingit de nostra: verùm quia, vt monui supra, Dei cognitio non est abstractiua, sed intuitiua, cum sit sine aliquo medio, proinde non sequitur dictum absurdum: nam Deus essentiam suam intuens, sic tanquam in speculo creaturas omnes intuetur, & sicut istæ habent esse in intellectu diuino, ita etiam habent esse futurum. Siquidem creaturæ per intellectum diuinum habent esse in actu existentiæ, per suam voluntatem esse possibile, atque per sui libertatem esse determinatè hoc, vel illud. Quæ omnia, quia sapiunt Christianam veritatem, ideo placuit hic ea adducere. At si peripatheticè loqui intendimus, cogimur facere destructionem destructionum Philosophiæ partis aduersæ, vnde ad rationes sumptas ex D. Thoma, dicerent Peripatetici ad primam tunc aliquam potentiam cognoscitiuã

teneri ad cognitionẽ effectus, quando ab ipsa consideratur causa in respectu ad talẽ effectum, modo non sic est de intellectu Dei: nam cognoscit tantum seipsum absolutè principiũ, & nõ in respectu ad effectus productos, quia tunc talis respectus poneret imperfectionẽ in Deo, & si velimus dicere aliquo modo illos cognoscere, nõ erit formaliter, & distinctè, vt ratio assumebat, sed virtualiter, putà vt in causa continẽtur, quia cognitio perfecta alicuius rei habetur ex causis intrinsecis, putà materia, & forma, & non extrinsecis, qualis est Deus gloriosus. Ad secundam negarent in intellectu diuino cadere comparationẽ, quia non habet Deus cui cõparetur, cũ careat simili. Ad tertiã concederent vtiq; ordinem partiũ vniuersi proficisci ab aliqua causa intendente, sed cum postea adducitur id non posse fieri à natura, est falsum, quia diceret Philosophus, talem ordinem oriri à prima causa simul cum secundis, per modum tamen naturæ, sicut videmus in planta, quæ ex sui natura seruat ordinem in suis

functionibus, sine aliqua cognitione. Et cum replicatur naturam determinari ad vnum, responderet Philosophus, esse verum de natura particulari, veluti est ignis, qui vt patet, determinatur ad vnum modum agendi: at de natura vniuersali non tenet propositio, quia hæc ad plura specie distincta se extendere potest, vnde dicerent talem ordinem produci à natura vniuersali. Ad quartam rationem responderent vtique Deum per scientiam sui, quæ est ipsemet Deus, & non per scientiam horum inferiorum hæc producere, & sic non tenet argumentum, tandem concederent Deum cognoscere omnia, sed non eo modo, quo ratio intendit: sed quatenus eminenter omnia in se continet, sic seipsum intelligendo Deus dicitur apprehendere, etiam quæ in se continet. Vlterius haberent pro absurdo monstra, latrocinia, & cætera vitia esse intenta à Deo; nam sicut monstra sunt errores particularis naturæ, ita etiam essent respectu vniuersalis, quæ est Deus, si ab ipsa intenderentur;

vnde

vnde ſatius eſt dicere, rem dici malam, non quia volitam à voluntate diuina, ſed ex ſui natura, & exinde talia non cognoſci à Deo, neque obſtat Platonis authoritas, quoniam intelligit non de malis naturæ, ſed de malis culpæ, hoc eſt de actibus vitioſis, quæ vult eſſe ad decorem vniuerſi, quia ex illis fiunt virtutes morales, vt ſunt Iuſtitia, Temperantia, & huiuſmodi. Quare cum nihil remaneat, quod cogat nos ad naturaliter credendum, Deum cognoſcere hæc inferiora. Concludendum eſt ad aures Ariſt. Deum habere vtique cunctarum rerum prouidentiam, dico etiam in particulari, ſed abſque cognitione, & per modum naturæ; quam concluſionem eſſe veram ſic breuiter oſtendo, & primò quoad primam partem, nimirum Dei prouidentiam eſſe circa particularia: nam cum eſſe, & perpetuitas, quæ producitur à Deo, cum alijs ſecundis cauſis mediante motu cæleſti in hæc inferiora, fundetur in ſingularibus, ſine dubio circa hæc erit prouidentia, & non erga vniuerſa-

lia, quæ habent esse per intellectum tantum, aliter non entis esset prouidentia, quod fatuum est asserere, & circa hoc rectè dixit Simplicius. Verùm quòd cognoscitiuè operetur Deus circa singularia, quod erat secunda pars nostræ conclusionis, non admitteret Arist. vt visum est supra; & quòd rursus non liberè, sed per modum naturæ, monstro nunc ex Auerroe libro destruct. disput. 3. ad 1. namque vt ait ipse, agens liberum, est agens eligens, & volens, quod autem est tale, est id cui deficit volitum, sed Deo non deficit aliquid; ergo Deus non est agens liberum. Secundo arguit Auer. agens eligens est id, quod sibi vnum duorum nobilium elegit, sed Deo non deficit aliquod nobile; igitur non erit agens eligens, & ideo neque liberum. Tertiò voluntas est cum passione, & mutatione, quia cum volens peruenit ad volitum, deficit eius voluntas, sed Deus est absque passione, & mutatione: ergo &c. Vlterius agens liberum est indifferens ad duo opposita, & sic vel ista simul producet,

vel

vel nullum: siquidē teste Auer. 2. phisic. com. 48. Causa actiua æqualiter respiciēte ad duo opposita, vel ambo producentur, vel neutrum, modo si Deus est agens liberum in sua cognoscitiua productione, à quo determinabitur ad hanc rem magis, quàm aliam producendam? & certè non à se ipso, atque ex sui libertate, quia ad mentem Philosophi nō potest assignari naturalis ratio, quare magis in hac temporis differentia, quàm in alia, & magis hoc quā illud operetur Deus, vt probāt abundè Arist. & Auer. 8. phisic. tex. com. 15. neque potest assignari aliquod extrinsecum, quod ipsum determinet ad sic, vel sic agendum; igitur concludit ratio humana, & naturalis, Deum non liberè, sed per modum naturæ absque cognitione agere in hæc inferiora, & ita illis prouidere, & cū dico per modū naturæ, nō intelligas ly naturæ præuenientis intelligere, & velle, sicut Sol illuminat, & ignis calefacit, quia non est fas bonitati diuinæ tribuere, talem modum agendi, sed intelligendum est, naturę

poſtpoſitæ actui intelligendi, & volendi pro quanto voluntas Dei vult neceſſariò quædam volita, & ita naturaliter, & ineuitabiliter, puta ita facere bonum, quod non poteſt agere malum, & ita mouere, quod non poteſt facere oppoſitum; propter quod dicitur à nobis agere per modum naturę, quia videtur determinari ad unum, ſicut facit natura, & non quod Deus non intelligat, quid uolendum, aut agendum, licet ſcientia, & uoluntate, de quibus non eſt fas dicere nobis, ut ait Auer. 12. metaph com. 51. & in libro deſtruct. diſput. 3. ad 1. dicebat, Deum ſcire, utique & uelle, ſed uoluntate diſſimili uoluntati noſtræ, & ſcientia diſſimili ſcientiæ noſtræ; ſed quæ ſit qualitas uoluntatis, & ſcientiæ Dei: fatetur infra eodem libro diſput. 10. ad 6. non poſſe apprehendi à nobis. Cum iſto tamen modo agendi Dei uolendi, & neceſſariò mouendi tempore æterno, & per modum naturæ, non liceat exinde inferre ſequi effectus neceſſarios, & ſic tolli contingentiam à rebus, ut arguebat Scoti-

ſtæ,

stæ, quoniam non sequitur prima causa necessariò mouet; ergo omnes aliæ necessariò mouent, & agunt: nam aliquando proxima causa contingit, & causat, & exinde oritur contingentia in rebus; modò necessitas non oritur nisi ratione ualde proximæ causæ, ut dicebat Iauellus super 6. metaph. quæstio. 10. Sed concedamus ipsis omnes causas necessariò agere, & mouere, cum hoc tamen potest saluari contingentia in rebus, ratione scilicet malæ dispositionis existentis in materia, à qua præcipuè ortum ducit ipsa contingentia, unde dicebat Auer. 1. phisic. com. 60 si non esset materia, remoueretur natura possibilitatis, namque actus actiuorum non sunt nisi in patiente bene disposito, dicebat Arist. . de ani. tex. 24. & 26. & propterea quamuis causæ semper agant, & uniformiter, non tamen sequitur semper effectus necessarius, quia ultra actionem causarum, sunt alia requisita pro effectus productione, quæ nisi præsto sint in passo, frustra mouebunt causæ, quod patet in Sole, qui licet

sit causa semper uniformiter, agens tamen pro variatione dispositionis factæ in materia, non poterit aliquando producere effectum in ea, quem alias produxit, ut experientia testatur, & sic patet, quomodo cum necessaria actione Dei ad mentem Philosophi, potest saluari effectuum contingentia, quod pro Achille reputabant Scotistæ. Quomodo autem postea Deus ens nobile, ordinetur ad ista inferiora entia ignobilia, quod multi naturales negãt, & reputant pro absurdo, dico id non debere videri mirũ, neque haberi pro inconuenienti, quoniam non primaria intentione, sed secundaria agit, & mouet Deus propter hæc inferiora: siquidem principaliter operatur propter seipsum, ne videatur esse frustra, & otiosus in natura: secundario verò propter ista inferiora, ut ostendat se esse summum bonum, & quod omnis perfectio huius mundi inferioris est ab ipso, & cum ipso, atque per ipsum, quod totũ est de intentione Alexandri 1. lib. de fato cap. 28. & Auer. 12. metaphys. com. 36. & 2. cæli com.

100.

100. *ex quibus obiter debet notari vnum, scilicet, non quemlibet finem esse nobiliorem ordinatis ad finem: nam nõ finis secundarius, vt sunt ista inferiora respectu Dei, qui licet videatur esse propter ipsa, tamen quia non principaliter, idcirco nõ sequitur ista inferiora esse nobiliora Deo: & de huius prouidentia erga vniuersum, hæc sufficiant dicta ad mentem Philosophi.*

De Intelligentijs secundis causis. Cap. XII.

I*Nquit Plato in Thimeo, quod postquã magnus architectus, & principalis artifex vniuersi Deus gloriosus cuncta miro ordine perfecit, atque disposuit, quasi quiescens ab omni opere, in suiq; ipsius speculum rediens, mandauit Dijs iunioribus, vt ad sui imitationem mixtionem rerum sub Luna aggrederentur, mortalia namq; Deus, quia à se plurimum distabant, non nisi per medias*

secun-

secundas causas attingere voluit, vbi æterna prius proximè fecerat, innuens per hæc verba Plato: Deos iuniores à Peripatheticis, intelligentias vocatos, cum suis corporibus cælestibus iunctos, esse secundarios artifices horum inferiorum, & exinde puto Auerroem 8. phisic. com. 47. vocasse cælum artificem, quatenus ipsum cum sua sibi adhærente intelligentia facit ad productionem rerum mortalium: etenim primà intelligentia in primo Orbe motu suo vniformi, reparando entium diminutionem, operatur perpetuitatem in eis, dum continuam facit in rebus generationem teste Arist. 2. de gener. tex. 59. Reliqui verò planetæ, præsertim Sol in Orbe decliui, per accessum, & recessum à nobis causant in entibus varias dispositiones, putà rerum generationem, vel corruptionem, eodē Philosophó teste libro mox citato tex. 56. & de extrinsecis, ac remotis principijs hæc sint satis: modò ad propinquiores rerum causas accedendo, loquar de elementis.

Quo-

Quomodo elementa veniant in mixtionem. Cap. XIII.

QVod ex alteratis ad se inuicem elementis medijs contrarijs qualitatibus sibi inhærentibus mixta omnia de propinquo constituantur, adeò luculenter monstrauit Arist. in libro de gene. & corrupt. præsertim 2 & propriè text. 49. vt in hoc immorari, esset superfluum. Verùm an illa formaliter veniant in mixtum, vel virtualiter, quia de hac re non expressè locutus est Arist. proinde inter philosophantes ardua satis de tali re insurrexit quæstio, mihi tamen, omissis cæterorum ambagibus, placuit semper Auerrois opinio in hoc quæsito, dum 3. cæli com. 67. inquit elementa formaliter, hoc est secundum propriam substantiam, in esse tamen refracto remanere in mixto, & non virtualiter, id est secundum eorum qualitates, remanentibus substantijs, secundum esse perfectum, vt di-

vt dicebat Auicennas: nam vt subtiliter arguit talis Doctor, si formæ elementorum essent in composito cum suis perfectionibus, tunc sequeretur in mixto reperiri ignem in actu, & consequenter caliditatem, & siccitatem in summo, quod fieri non potest, vt de se clarum est; nam non potest dici remanere partem istarum qualitatum propter mixtionem, & formas remanere perfectas, quoniam sic esset possibile dari aliquando ignem sine caliditate, quod est absurdum dicere, vel accidens proprium posse stare sine suo subiecto, quod etiam est valde erroneum ponere in Philosophia, probat primam sequelam Auerroes, quia si forma ignis posset remanere perfecta, sua caliditate remissa, ac deperdita in vno gradu, tunc etiam deperditis omnibus gradibus idem sequeretur, cum non possit assignari maior ratio de vno gradu, quàm de altero, cum omnes sint eiusdem speciei, & proinde idem est iudicium partis, & totius; & tamen hoc totum, vt patet est impossibile. Ostenditur etiam

secun-

ſecunda ſequela, quoniam alteretur aqua ab igne in vno gradu caliditatis, niſi ſtatim ponatur ibi forma ignis pro vno gradu, ſequetur ly calidum, quod eſt proprium accidens ignis, poſſe ſtare ſine igne ſuo proprio ſubiecto, quod vt diximus, eſt inconueniens aſſerere. Nec obſtat, quod dicit Sueſſanus contra Auerroem in fine primi libri de generatione, & corruptione, ſcilicet non eſſe validam probationem Auerrois, cum qualitates elementorum non ſint propria fluentia ex eorum proprijs principijs, ſed potius diſpoſitiones, quas forma requirit in materia, appellatæ proprium formæ, pro quanto forma non poteſt ſtare ſine illis, quæ diſpoſitiones, vt ſubdit Sueſ. quia habent latitudinem, puta ſummam, mediam, & minimam; propterea fieri poſſe, vt in quolibet gradu ipſorum ſaluetur forma ignis, hæc inquam dicta nullius ſunt momenti, quoniam qualitates in elementis eſſe proprias ipſis primo modo, patet ex pluribus; ſiquidē cum ignis ſit primò, & per ſe calidus,

ergo

ergo sua natura erit talis, quare calor fluet ex principijs signis, quod idem assumendum est in cæteris elementis. Et rursus: Cum elementa definiãtur per qualitates, vt patet ex Arist. 2. de gener. & corrupt. igitur hæ erunt formæ illorum, aut aliquid loco formarum, quod est accidens proprium, at non potest dici primum, vt monstrabitur infra, ergo erit secundum. Amplius cum omnis forma, vt agat, habeat opus aliquo accidenti, quo mediãte exeat in suam actionem. Ignis enim dicebat Arist. in libro de sensu, & sensili non agit in quantum ignis, sed quia calidus; igitur cum agant elementa medijs qualitatibus, istæ erunt propria illorum accidentia. Quod etiam comprobat experientia, quandoquidem videmus ad plurificationem graduum illarum qualitatum, elementum quoque intendi, vt patet de igne in æstate. Quare erunt qualitates in elementis propria accidentia ex illorum principijs fluentia, & non ipsorum dispositiones, vt malè dixit Sues. aduersus Auer. Neque

que videatur alicui mirum, si sic dicendo, videar ponere in substantijs intentionem, & remissionem secundum gradum contra Arist. in prædic. cap. de substantia, & 8. metaph. tex. 10. quia de substantijs perfectis tenet Philosophi authoritas, & non de imperfectis, quales sunt formæ elementorum, quas intendi, & remitti ad intentionem, & remissionem suarum propriarum qualitatum, nullum exinde sequi absurdum tuetur Auer. & ob id illas esse medius inter substantiam, & accidens, scripsit libro supra citato 3. cæli com. 67. non vtique participatiuè, aut per extremorum abnegationem, quoniam id fieri non potest, cum omne ens sit, aut substantia, aut accidens, sed secundum modum, & assimilationem, quatenus formæ elementorum propter sui imperfectionem assimilantur accidentibus in intentione, & remissione in gradu suæ substantialitatis, de reliquo secundũ rem sunt substantiæ, quod tale medium potest assignare intellectus per suæ rationem abstrahentem, & non

& non natura teste eodem Auer. 12. metaph. com. 39. neque propterea committitur mendacium, vt voluit Arist. 2. phisic. tex. 18. vnde per hanc vim ponit Medicus, & rectè neutralitatem mediam inter sanitatem, & ægritudinem. Asserit etiam Logicus dari animal, quod non est rationale, neque irrationale; & tamen de facto omne animal est aut sanum, aut ægrum, aut rationale, aut irrationale. Sed notandum, quòd cum dico ad mentem Auerrois essentiam elementi suscipere magis, & minus, non intelligo de illa, quæ ex diuersis partibus, puta genere, & differentia resultat à Philosophis appellata quod quid est, & natura rei, sic enim nulla forma quæcunque sit, siue substantialis, siue accidentalis suscipit magis, & minus; cum consistat in indiuisibili: nam tanta est albedo vnius gradus, quanta est duorum, vt etiam fatetur Arist. 8. metaph. tex. 10. sed intelligo de essentia ex partibus eiusdem rationis conflata; puta quando aliquod calidum intenditur, ita vt maior acquiratur

cali-

caliditas, hæc appellatur essentia caloris ex partibus eiusdem rationis resultans; modus autem, quo hoc fiat, par est secundum Auerroem illi, qui est de qualitatibus elementorum: nam sicut intenditur caliditas sic forma sua per partes caliditatis augetur, vt patet in manu, quæ fit calida per additionẽ partis calidæ ad partem præexistentẽ calidam, vnde quoties aduenit gradus caloris, accedit etiã gradus ignis, similiter cum partes caloris deperdũtur, & partes formæ contrariæ acquiruntur, etiã forma elementi deperditur, & in eadẽ parte materiæ forma contraria inducitur, neq; debet reputari pro absurdo, si materia per aliquod tempus maneat cũ dispositionibus, & qualitatibus, quæ formæ, quam habet, non conducunt, quia est necesse ita fieri de ordine vniuersi: nam si sub illis primis staret semper, nunquam fieret corruptio antiquæ formæ, & consequenter, neque productio nouæ. Patet igitur quomodo nullũ sequitur inconueniens, si in substantijs imperfectis, quales sunt formæ elementorum,

fiat intensio, & remissio secundum gradum, & inepte dixerint illi qui posuerunt. Elementa idcirco suscipere magis, & minus, quia formæ illorum sunt inhærentes sibi qualitates, quorum opinio, vt magis falsa appareat decreui in sequenti capite in proprio quæsito aliqua in medium adducere.

Qualitates elementorum, non esse ipsorum formas. Cap. XIIII.

OPinio dicentium qualitates primas esse formas elementorum, iudicio meo est ridiculosa satis: nam, vt recte inquit Auer. 5. phisic. com. 10. & 8. metaph. com. 5. quomodo fieri potest, vt quod vni est substantia, alteri sit accidens, modo clarum est illas esse accidentia in mixtis; ergo non poterunt esse substantiæ in elementis, neque valet tergiuersari, dicendo non esse eiusdem rationis, qualitates in his, & in illis, quoniam tactus qui est iudex illarum, tanquam propriorum obiectorum,

iudi-

iudicat esse ita, quod etiam confirmat Arist. 2. de ani. tex. 40. dum ait caliditatem ignis, vt sortitur terminum à forma mixti, esse caliditatem huius, quatenus verò nullum habent terminum, esse calorem elementi ignis, ita vt vna, & eadem caliditas sit hic, & ibi, quod ostendit rursus operatio vtrobique existens eadem; siquidem semper calefacit, at per Arist. 1. cæli tex. 19. quæcunque habent eandem operationem in specie, sunt eiusdem rationis, & speciei, & vltra si primæ qualitates essent formæ elementorum, alterum duorum sequeretur, vel quod generatio esset ad primas qualitates, & sic generatio esset alteratio, quod est falsum, vel destrueretur motus alterationis, quoniam ad cæteras patibiles qualitates, non est alteratio nisi meritò primarum qualitatum, quod similiter erroneũ est asserere, probatur prima sequela per Arist. 7. phisic. tex. 14. alterationem esse motum ad patibiles qualitates, & exponens ibi Auerroes, quæ sint istæ, ait, esse primas qualitates, putà calidita-

tem, frigiditatem, & alia; & iterum quæ ex his fiunt, nimirum mollicies, & durities, in quibus secundariò fundatur alteratio, & non nisi mediantibus primis qualitatibus; quare si primæ qualitates essent substantiæ cum mutatio ad istas sit alteratio, tunc alteratio esset generatio, cum mutatis ad substantiam sit generatio, quod si dicas esse vtique generationem, non alterationem, tunc sequetur mutationem ad primas qualitates non esse alterationem contra Arist. loco nuper allegato, & tertium si qualitates primæ essent formæ elementorum sequeretur quòd substantia per se sentiretur contra Arist. 2. anima tex. 65. vbi vult istam esse sensibilem per accidens, sequela est clara, quoniam qualitates primæ sunt propria sensilia tactus, sed quid pluribus verbis hic vtimur? nonne est clara sententia Arist. 3. metaph. text. 37. dicentis has qualitates esse accidentia in elementis dum appellat illas nomine passionum? sed causa deceptionis istorum fuit male intellecta Philoso-

phi

phi authoritas 2. de generat. tex. 6. in qua ponit quodlibet elementum fieri ex combinatione primę materiæ, & primarum qualitatum. Et ultra. Quia viderunt eundem Philosophum ibi in diffinitione elementorum accipere qualitates loco differentiarum, quæ primò formas referunt. Amplius, quia videbant ad positionem primarum qualitatum, pariter ad earundem remotionem, poni, & tolli elementa, quod est de conditionibus verarum formarum, similiter ad mutationem primarum qualitatum mutari elementa, amittendo nomen, & diffinitionem, sicut facit forma, & substantia, quando contingit mutari, teste Arist. primo de part. anim. cap. 1. Et rursus, quia dixit Auer. in libro destruct. disputat. sexta ad vltimum, & nono metahpy. comment. 7. atque 12. eiusdem comm. 14. actionem indicare formam ra concluserunt illi qualitates esse formas in elementis, quia videbant hæc per illas exire in proprias operationes, & tandem, quia forsitan legerint

apud Alexandrum 1. lib. quæst. natur. atque in lib. de sensu, & sensili cap. 4. caliditatē esse formā ignis, essentiasq; elementorum esse primas qualitates, ad hæc pauca inquā respicientes isti, errarunt errore manifesto: nam non obstat primò allegata Arist. authoritas, quia cum adhuc non inuestigauerat, quæ essent veræ formæ elementorum, posuit qualitates loco istarum tanquam magis notas, quod fecit etiam in diffinitione elementorum propter eandem rationem. Siquidem, vt ait Auer. 8. metaph. com 5. vbi est latentia differentiarum substantialium licet ponere accidentia propria loco earum, neque cogit nos ad id credendum, quia ad positionem, ablationem, & mutationem qualitatum, videmus poni, tolli, atque mutari elementa, cum id non fiat primò positis, ablatis, aut mutatis qualitatibus, sed formis suis prius, ad quas postea sequuntur suæ propriæ qualitates, & quamuis rectè dixerit Auer. actionem indicare formam, tamen non probat aliquid contra nos, quia cum formæ

sub-

substantiales elementorum non possint esse primum instrumentum agendi, vtuntur proprijs qualitatibus tanquam proximis instrumentis, quorum beneficio suas exercent actiones. Ignis enim non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus dicebat Arist. in libro de sensu, & sensili, tandem Alexander glossatur, dixit namque qualitates elementorum esse istorum naturas, non veras, sed quasi tales pro quanto accidentia propria solent appellari, substantialia, neque in libro de sensu, & sensili id absolutè dicit, sed sub conditione, inquiẽs, esto quid esse ignis sit caliditas, adhuc non ageret in quantum ignis, quasi voluerit dicere, posito, & non concesso: vnde peccauit Auerroes id imponens Alexandro 8. metaph. com. 5. nam iste Doctor in suo libro de anima capite de anima sensili disputans de obiecto sensus tactus, ait esse primas qualitates, vbi etiam testatur substantiam non esse per se sensilem, sed per accidens, & 4. metheor. vocat Alexander primas qualitates passiones: modo pas-

sio est de tertia specie qualitatis, quod non ignorabat Alexander. Quare, ut vides, vanæ sunt partis aduersæ authoritates omnes, atq; rationes; verũ hæsitabit forsitan quispiã de huiusmodi qualitatibus, cũ duæ sint in quolibet elemento, an ambæ sint in summo in ipso, vel una remissa, altera verò in summo, quod explicabo in sequenti capite.

An ambæ qualitates sint in summo in elementis. Cap. XV.

Difficile admodum est demonstratiuè loqui in tali quæsito, quia Arist. non videtur semper sentire idem in ipso: nam 4. metheo. tex. 10. apertè fatetur duas qualitates in summo non posse reperiri in vno, & eodem elemento, & reddit rationẽ Auer. ibi in commento, quoniam si qualitates in elementis parificarentur, tunc non posset fieri mixtio, cum vna non operaretur in alterã sibi comparem, postquã ab æqualibus non prouenit actio: & propterea

pterea dicebat Arist. 2. de gene. tex. 23. aquam esse magis frigidi, quàm humidi, & terram magis sicci, quàm frigidi. Ex aduerso postea inquit idem Philosophus 1. metheo. terram esse frigidissimam, quod non possit dici, nisi frigiditas in terra esset in summo sicut est in aqua, præsertim cum non possit assignari à quo remittatur: nam dicit Arist. 5. phisi. tex. 19. & 2. cæli tex. 37. omnem remissionẽ fieri per admixtionem contrarij. Hanc difficultatem considerans lucidissimus Zimara in proprio theor. 18. inquit, allegatam Arist. authoritatem non habere locum in elementis, quòd etiã fassus fuit Alex. 1. metheor. cap. 4. Quare autem vna sit remissa, altera verò in summo, ait Zimara nõ posse assignari aliam rationem, nisi quia elementa diuidendo sibi hæreditatem, singulum accepit vnam qualitatum in fine; alteram verò remissam. Et ego adderem id fuisse factũ de ordine vniuersi, vt scilicet fieret mixtio, atque rerum generatio, postquam ab æqualibus, vt dictum est supra, non prouenit actio.

Quod

Quod si velimus tueri ambas qualitates in summo stare in elemento, pro quanto non apparet tertio qualitas inhærens contraria, à qua altera remittatur, dicas tu esse verum, quoad gradum, & formæ intentionem, non autem quoad posse, & agere, cuius facti diuersitas, arbitror ego, quod fiat ratione subiectæ materiæ, sicut patere potest in exẽplo æqualis caloris in gradu intensiuè positi in ferro, & in stuppa, siue palea, vbi videmus ferrum potentius calefacere, quam stuppa, quia materia ferri magis apta est calefacere, quam materia stuppæ; ita in simili, licet ambæ qualitates sint in summo in quolibet elemento quantum ad gradum, tamen quantum ad posse, vna qualitas præualebit magis in vno, quam in altero propter diuersitatem naturæ illorum: vnde quia materia aquæ magis disposita est ad posse infrigidare, quam materia terræ, idcirco fuit dicta aqua ab Aristotile primam frigidorum, quamuis terra sit frigidissima quoad gradum, vt etiam dicebat Philosophus loco supra

alle-

allegato, & certè est pulcher modus conciliandi Doctores; vnde quando Auer. probabat ambas qualitates non posse esse in fine in elemento, dicas tu intelligere quantum ad posse, & non quantum ad gradum, & proinde dici ab ipso frigiditatem in terra esse remissam, quia non potest tantum in ista, quantum valet in aqua, quod etiam discurrendo in alijs, poteris iudicare similiter: Verum hæc omnia indigent perseueratione, & tu considera.

De reactione. Cap. XVI.

H*Ic videtur esse oportunus locus quærendi de reactione qualitatum ad inuicem in elementis, qualis sit, & quomodo fiat, præsertim cum sit necesse, elementa dum veniunt in mixtionem, remitti in suis qualitatibus per actionem cognitam in eis meritò contrarietatibus, ad hoc vt sequatur mixtio, atque generatio. Propterea pono ego hanc*

con-

conclusionem, scilicet, omne agens naturale, & corporeum, communicans in materia cum passo, agens per qualitatem realem, existensq; in debita sphera suæ actiuitatis, atque in debita proportione virtutis agentis in passum, in quo sit actus, & potentia, omne inquam tale agens in agendo positiue repati à suo passo, ac in eadem qualitate per quam agens agit in passum, dixi primo loco debere esse agens naturale, vt excluderem Deum, & intelligentias, quæ non sunt agentia naturalia, & ideo non mota mouent, teste Arist. 2. phisi. tex. 71. & 73. Dixi postea debere esse corporeũ, quia reactio fit per contactum agentis, & passi, qui tactus cum non fiat nisi inter corpora, quare debet agens esse corporeum? Dixi rursus requiri communicantiam in materia agentis cum passo, & actionem debere fieri per qualitatem realem, vt excluderem corpus cæleste, quod licet sit agens physicum, & corporeum, agendo tamen in hæc inferiora mediante motu, non repatitur ab istis,

istis, quia materia cæli non communicat cum ipsis neque etiam cælum agit per qualitatem realem in illa, quod etiam intelligendum est de omni mouente in loco in quo actio non fit per realem qualitatem, sed solum per proportionem quandam maioris inæqualitatis supra passum. Debet insuper agens esse in debita sphæra suæ actiuitatis, quia si ignis, qui potest agere per distantiam decem pedum, ponatur quòd agat in aquam, quæ potest tantum agere per distantiam quinque pedum, tunc si in hac actione ponatur aqua in nono pede, vtique aqua patietur ab igne, ipsa autem in ignem reagere non poterit. Amplius fuit dictum, agens debere esse in debita proportione cum passo, quoniam si multus ignis aget in guttam aquæ, clarum est in hoc casu non posse sequi reactionem: nam quasi in instanti illa aquæ portiuncula ab illo multo igne consumetur: & ideo dicebat Arist. 1. de gene. tex. 88. & 89. quod si multa paucis, & magna paruis sint applicata, non faciunt mixtionem: gutta

nan-

nanque vini decem millibus congijs aquæ non miscetur, cum saluatur statim forma vini, & mutatur in aquam: vnde concludit ibi Philosophus, potentias quodammodo debere æquari, vt sequatur actio, & mixtio, puta paruum cum paruo, & multum cum multo, & non cum quanto extensiuè, quia sic non debent comparari elementa ad inuicem, sed quanto intensiuè, hoc est secundum posse: nam hæmina aquæ tantum infrigidabit, quantum calefacient decem ignis, vt notat Arist. 2. de gener. tex. 37. fuit postea additum in agente debere esse actum, & potentiam, quoniam debet esse compositum, vt scilicet ratione actus possit agere, ratione potentiæ, & materię pati, vt monstrat Arist. 3. phisic. tex. 8. Et rursus fuit dictum agens positiuè pati à suo passo, propter illos, qui negant reactionem positiuã, & admittunt priuatiuam: nam dicunt fieri non posse, vt agens agendo in passum, verè aliquid repatiatur à passo, sed dici tantum hoc reagere in illud, quatenus passum resistit agenti, ita

ti, ita vt apud ipsos hæc reactio priuatiua nil aliud sit, nisi resistentia passi aduersus actionem agentis, sed decipiuntur : Siquidem sensu ipso videmus ignem repati ab aqua , & contra ipsos est clara authoritas Arist 1. de gener. in fine, vbi ait: mixturam elementorum esse vnionem eorundem corporum alteratorum ad inuicem, & 3 phisic. tex. 8. dicebat, omne agens repati ratione potentiæ in eo existentis; quod monstrauit ibidem Auerroes exẽplo sumpto à cibo, qui agens in corpus animalis, repatitur ab ipso, ex quibus omnibus patet dari certè reactionem positiuam, & non priuatiuam, quam isti fingunt, tandem fuit dictum reactionem fieri ratione eiusdem qualitatis, ita vt per quam qualitatem ignis agit in passum, in eadem repatiatur à suo passo, vt reijcerentur illi, qui volunt reactionem non fieri per easdem qualitates, sed per diuersas, puta ignem agere per qualiditatem, repati verò per siccitatem , quorum sententiam ipsa experientia indicat esse falsam, sicut etiam grauiter errant

errant illi, qui contendunt agens agere secundum totum, repati autem secundum partem: nam licet actio, & reactio fiat vtrinque semper in propinquiori parte, tamen alterum oppositorum semper agit, aut reagit in reliquum, secundum se totum, & suas vires omnes, vt destruat suum oppositum & hoc sibi assimilet omnino: verum contra ista nostra decisa sunt tres rationes satis apparentes, quarum prima est ista, quod agit, aut est potentius, aut minus potens, aut æquè potens cum eo in quod agit, sed nullum horum dici potest; ergo frustra est sermo de reactione, probatur primum, quoniam quod potest in maius, potest quoque in minus, quare si potest agens magis potens conuertere passum in seipsum, tanto magis poterit se conseruare in sui natura ne aliquid repatiatur à suo opposito: siquidem maius opus est vincere passum, quam se conseruare ne repatiatur ab eo, secundum patet de se, quia si est impotentius, quomodo aget? multo minus potest dici tertium: nam si est æquè potens, quo-

quomodo fiet actio, aut passio, cum inter æqualia id fieri non possit, vt pluries ex Arist. dictum est supra. Secunda ratio est, quia si eadem qualitas præcisè est, quæ habet corrumpere qualitatem oppositam, quomodo postea poterit illa alterari à qualitate contraria? Tertia ratio est, quia videtur ad concessionem istius positiuæ reactionis sequi idem simul, & semel posse moueri duobus motibus contrarijs, quod sic ostenditur; assignetur agens calidum in quatuor gradibus, & applicetur frigido; certum est illud tale prius agere per partem propinquam, quam remotam, vnde per quartam partem sui aget calidum in suum oppositum frigidum, quæ quarta pars calidi, cum repatiatur à frigido, aliquo modo infrigidabitur, postea reliquæ tres partes calidi etiam calefacient, & cum adinueniant illam quartam partem calidi aliqualiter factam frigidã, certum est, quòd calefaciant istam prius, cum, vt dictum est supra, omne agens agat prius in partẽ propinquam, quam remotam, quare illa quarta

pars calidi simul calefiet, & frigefiet, & sic idem simul, & semel cõtrarijs motibus mouebitur, His tamen nõ obstantibus, dico assertas rationes nihil cõcludere, uno prius supposito, scilicet agens esse minoris virtutis in resistendo quàm in agendo, quod facit rerum magistra natura, sic requirente ordine uniuersi, ut posset sequi mixtio, atque entium generatio, quo supposito sic stante prima ratio nihil obstat, quia non valet dicere potens vincere passum, poterit etiam conseruare se, ne repatiatur: nam ut dixi, ubi est maior actiuitas, ibi est minima resistentia, & sic siue agens sit potentius, siue impotentius, semper alterum aget reciproce in oppositum; quia potentius ratione minimæ resistentiæ, quam includit, semper repatietur à suo opposito, licet impotentiori, unde non tenet ratio pro ista parte, neque etiam cum adducitur æqualia non agere ad inuicem, quicquam obstat, quia sensus est, non agere, ita ut alterum vertatur in alterum, sicut facit quando potentius agit in impotentius,

sed

sed agent vtique: actione autem tali, vt ex ipsis generetur quoddam medium, & commune ambobus, & erit media qualitas, cuius subiectum erit quantitas illorum duorum mixtorum, vt etiam dicit Fracastoreus in libro de Antipathia, & Sympathia, quod totum est de intentione Arist. 1. de gener. tex. 89. vbi ait potentias debere quodammodo æquari, vt sequatur mixtio, videatis locum. Secunda quoque ratio nullius est valoris, quoniam licet sit eadem qualitas precise, tamen non se habet eodem modo in actione, & repassione: nam ratione maximę actiuitatis agit; patitur vero ratione minimæ resistentiæ, & sic nihil concludit, bene valeret, quando eadem ratione ageret, & pateretur. Tandē soluitur tertia ratio, dicendo cum Fracastoreo libro supra allegato, videatis ipsum, cuius solutio licet sit satis ingeniosa, & subtilis: tamen quia mihi non satisfacit, ideo do aliam nimirum negando consequentiam, & ad probationem dicerem totum calidum agens, puta quadrupedale agere in

re in totum frigidum, istud totum alterando, & licet primò agat in primam partem passi frigidi, & postea in alijs: tamen ita secundum totum conatur agere continuè, vt tandem totum frigidum superet. & sic non sequitur idem moueri motibus contrarijs, quia non solum illa quarta pars calidi, sed totum calidum simul calefacit frigidum, ipsum totum alterando: Et si videatur aliquando hebetari remissè agendo, tamen continua actione iterum redditum vigorosius, tandem passum frigidum sibi assimilat. Vel & clarius, ac melius dicere possumus, quòd quamuis illæ tres partes calidi agant in quartam partem, non tamen agunt in illam, vt in æquè calidam, sed in calidum remissum à frigido, & sic agunt in illam, tanquam in contrarium, licet non extremum, sed medium. Quare solutis rationibus, quæ videbantur obstare, remanet firma nostra conclusio, nimirum dari absque dubio reactionem stantibus conditionibus suprà positis, & propriè in agente mouente motu

alte-

alterationis, & si videatur reperiri in alijs, puta motu augmenti & generationis, id non fit in istis, nisi propter alterationem, vt patet; pariter non reperitur in actio in agente mouente in loco propter rationem, de qua diximus supra. Et de reactione qualis sit, & quomodo fiat haec sufficiant.

De motu elementorum. Cap. XVII.

Quomodo moueantur elementa, an à principio intrinseco, puta à propria forma, vel ab extrinseco, nimirum à generante, aut remouente prohibens, & tandem an à medio scilicet aere, vel aqua. Insuper an sit per se, an per accidens illorum motus, plena est dubitationis omnis schola. Ego tandem teneo ad mentem Arist. ab omnibus supradictis moueri elementa. Sed pro dilucidatione dictorum est notandum, elementa dupliciter considerari posse, vno modo dum fiunt: altero mo-

do dum sunt, & extra propria loca inueniuntur, tunc si primo modo considerentur; dico initium motus fieri à generante; & sic à principio extrinseco: nam generans dans formam, dat etiam motum mediante forma, vt inquit Auer. 3. cœli com. 28. & 8. phisic. com. 32. Licet postea continuatio motus fiat à propria forma elementi, & non à generante, contra Simplicium, & D. Thomam, qui volebant id quoque fieri à generante, vel tribuente quendam impetum, seu naturalem inclinationem elementis, vt ita moueantur, aut à derelinquente virtutem in loco continente, quæ trahat ad se graue, vel leue. Decepti isti viri alioquin grauissimi ex quadam authoritate Arist. 4. cœli tex. 22. vbi ait. Simile non moueri semper ad suũ simile, sicut crediderunt antiqui, puta terra ad terram: nam si quis transponeret terram, vbi est Luna, tunc pars terræ non moueretur ad ipsam, sed ad locum, vbi nunc est, quod, vt dicunt illi, non potest aliunde procedere, nisi ex virtute derelicta

in lo-

in loco à generante. Verùm nõ est hæc ibi Philoso phi intẽtio, nimirū quod terra moueatur deorsum, quia locus trahat ipsam ibi, sed bene, quia forma terræ in tali materia naturaliter tendat deorsum, & non sursum, quamuis hic poneretur tota terra; & eo magis errant isti, quia continuans motum in elementis, debet esse coniunctum istis, quia quod mouet, debet tangere rem motam; teste Arist. 7. phisi. tex. 10. modo generans est separatum ab elementis, imò corruptum: quare dabit generans initium tantum motus elementis existentibus in fieri; sed continuatio fiet postea à propria forma: si autem considerentur elementa secundo modo, dico quòd etiam à principio extrinseco habebunt principium motus, quod erit remouens prohibens; sed quòd postea continuabit talem motum, erit pariter propria forma elementi. Hanc rem esse ita declarauit Arist. 8. phisi. tex. 32. dum dixit, sustinens, & prohibens dimouens, esse sicut mouens; etenim cum est aqua, potentia quodammodo est

leue, & cum est aer potentia contingit per impedimentum non esse sursum: sed si auferatur impedimentum, aget, & semper superius fiet, propter quæ verba infert Auerroes in commento: Elementa esse talis naturæ, vt initium motus accipiant ab extrinseco, sed postea fiant à se ipsis mobilia. Est postea medium non solum vtile ad talem motum, sed etiam necessarium, teste Arist. tertio cæli textu vigesimo octano, probatur talis necessitas ab eodem Philosopho quarto phisicor. textu septuagesimo primo, quando ostendit motum non posse fieri per vacuum, sed per plenum, neque per omne plenum, quoniam non per id quod non cedit, & durum est, sed per quod cedit, vt est aer, & aqua, vtilitas habetur ex eo, quòd cum ad rei motionem, ipsum medium quoque moueatur, & partes antecedentes rem motam, impellant alias partes medij, puta aeris, sic disponunt mobile, vt velocius moueatur: nam cum partes medij aeris consequentes rem motam, moueantur

ad

ad repleudum locum, ne detur vacuum, mouentes se aliquo modo dicuntur mouere rem motam, impellendo istam, ad quod respiciens Auer. tertio cæli commentario vigesimo octauo, dixit elementa moueri per se, per accidens, quatenus elementum se per se prius mouens, mouet postea medium, ad cuius motionem mouetur etiam elementum, vt dictum est supra, unde dicitur moueri per accidens, quia ab ipso medio aere moto, atque impellente adiuuatur ad motum. Sunt igitur in motu elementorum principia extrinseca, de quibus visum est supra, adest quoque intrinsecum, quod est propria forma elementi, de quo est clara sententia Aristotelis 4. cæli tex. 24. quando inquit. Quærere propter quid ignis fertur sursum, & terra deorsum, idem est quod quærere propter quid sanabile venit in sanitatem, & non in albedinem; similiter & omnia alterabilia: nam cuncta alterantur ad illud, quod conuen't eis, & non ad aliud, sed horum quædam habent principium

cipium mutationis ex se interius, vt graue, & leue: quædam verò ab extrinseco, vt sanabile cum alijs, quid clarius dici posset? neque valet dicere ibi Aristotelem intelligere de principio passiuo; & non actiuo, quia quod sanatur, & augetur; habent etiam illud, & sic nulla esset differentia posita ibi à Philosopho inter ipsa; quare oportet intelligere de actiuo principio, quod non nisi rarò reperitur in sanibili, & alijs, vt ibidem testatur Arist. propterquod concludendo ait, se igitur mouent grauia, & leuia ex se, hoc est à principio actiuo intrinsecus eis inexistente. Quod idem potest quoque confirmari ratione: nam cum motus grauis deorsum sit effectus per se intentus à natura, ex quo vnumquodque naturaliter fertur in suum locum, teste Arist. 4. cæli tex. 22. ergo habebit causam per se, vt elicitur ex eodem Philosopho 2. phisic. cap. 2. dum ponit differentiam inter naturam, & casum, modo ista causa opus est, vt sit actiua, non passiua, quia in principio passiuo natura non differt à ca-

su,

su, & fortuna, igitur per principium actiuum in ipso existens mouebit se graue deorsum. Vlterius si graue habet principium passiuum, habebit etiam de necessitate actiuum, quoniam cuilibet potentiæ passiuæ correspondet sua actiua, teste Arist. 5. metaph. tex. 17. & 9. eiusdem tex. 2. vnde potentiæ per se passiuæ correspondebit sua actiua per se, per regulam Arist. primo libro priorum, quæ dicit, quod quando antecedens insequitur consequens esse necessario, idem vtrobique adhibitum, semper sequitur idem, quare si ad principium passiuum sequitur actiuum, ergo ad principium per se passiuum motus, sequetur principium per se actiuum illius; hoc autem non potest esse, nisi propria forma: idcirco concludendum est ab ista moueri elementa in proprium locum, sed sunt tres rationes satis apparentes, quæ obstant nostræ positioni, & prima est ista; quia si ignis se per se moueret sursum, etiam se per se moueret deorsum, antecedens, & consequens sunt Arist. ad verbum 8. phisic. tex.

29. *quia ut ipse ait, inrationabile est, illud uno motu moueri solum, quod à se ipso se ipsum mouet, at falsum est dicere ignem per se posse moueri deorsum, quare & illud ex quo sequitur, erit falsum, & quod arguitur de igne, potes etiam inducere de alijs; igitur elementa non mouebunt seipsa ex se ipsis. Secunda ratio probat idem sic: Illa dicuntur ex se ipsis moueri, quæ possunt initiare motum, & etiam desistere ab eo, quando volunt, ut loco mox citato idem fatetur Arist. Sed elementa non sunt huiusmodi, ut patet; ergo hæc se per se non mouebunt. Tertio arguitur, quia omne quod per se mouetur, diuiditur in partem per se motam, & in partem per se mouentem, sed elementa non sunt huiusmodi; igitur hæc per se non mouentur, maior est Arist. 8. phisic. & de se patet, minor probatur: nam in elementis non sunt nisi materia prima, & & forma. Materia autem prima non potest esse per se mota, quia non est in actu, ergo sequitur, ut prius. His tamen non obstantibus, respondetur ad*

pri-

primam, & secundam rationem, distinguendo de per se mouentibus: siquidem aliud est quod potest incipere motum, & ab isto desistere ad beneplacitum, sicut faciunt animalia omnia, quibus etiam est proprium non vno tantum, sed pluribus moueri motibus, & de tali per se mouenti loquitur Arist. loco supra allegato, ac respectu huius procedunt duæ rationes adductæ. Datur alterum mobile per se, quod licet à principio intus existente moueatur: tamen non potest incipere motum, nisi aliud concurrat, neque ab eodem desistere, nisi adsit impediens, vel donec peruenerit ad locum proprium, & de isto intelligimus nos quando dicimus, elementa se per se mouere, quod neque negaret Arist. vt visum est supra. Ad tertiam respondet Auer. quarto cæli comment. 22. & tertio cæli comment. vigesimo octauo, in elemento esse illas duas partes ratione tantum distinctas, non re, & subiecto: nam, vt inquit ipse, pars mouens est forma elementi, quæ ea ratione qua mouet,

dici-

dicitur forma, quia formæ est agere, ratione autem qua est in materia, dicitur pars mota, sed quia hæc solutio patitur instantiam, ex quo sequeretur idem respectu eiusdem esse mouens, & motum, quandoquidem clarum est formam ignis mouere sursum, non quatenus forma simpliciter, quia tunc omnis forma moueret sursum, cum ab vna reduplicatiua ad vnam de omni valeat consequentia, vt sciunt logici, quare mouebit sursum, vt est forma ignis, sed non dicitur talis nisi vt est in propria eius materia, ergo vt sic mouebit, quo etiam modo, vt ipse asserit, etiam mouetur, igitur idem respectu eiusdem erit mouens, & motum, quod est absurdum dicere, quare nos aliter soluendo, dicimus, elementum vtique habere illas duas partes, quia habet formam, quæ est pars mouens, habet etiam partem motam, quæ est ipsa materia elementi, non absolutè accepta, sed vt est posita in actu à sua forma, nam quælibet forma prius materiam perficit, & in actu

reponit

reponit, deinde vtitur illa pro operatione explenda, vnde actuata materia elementi à propria forma, poterit suscipere motum ab ea, & de motu elementorum, atque elementis in genere, hæc dicta sufficiant.

An materia prima detur, & sit necessarium principium pro rerum generatione. Cap. XVIII.

Quoniam materia prima non est quid neque quale, neque quantum, neque aliquod aliorum, quod digito, aut sensu possit monstrari, & dici, est hoc, experimentum autem sermonum verorum sit, vt concordet sensatis, teste Auer. 8. phis. com. 22 propterea dixerunt quidam illam esse purum philosophorum figmentum, præsertim, vt subdunt ipsi, cum neque sit necessaria pro rerum generatione, postquam ad istam explendam sufficiunt elementa, quæ æterna successione se cor-

rumpentia, & generantia, sic ex se inuicem alteratis mixta omnia producuntur, vt aiunt, monstrari ab Arist. 2. de gener. cap. 2. summæ secundæ quando manifeste dicit. Elementa non habere materiam neque ex eis, neque extrinsecam prius illis, quod idem confirmant per diffinitionem elementi datam à Philosopho 5. metaph. tex. 4. dicentem, elementum esse illud, ex quo primò res componitur, & Auer. ibi ait esse illud, quod non componitur ex aliquo omnino, & clarius super cantica Auicennæ tex. 6. dicebat idem Doctor, elementum esse simplicius, quod reperitur in composito, ex quo aliquid componitur, ipsum verò ex nihilo, & vltra in quod resoluitur compositum, ipsum vero in nullum aliud resolui, vel dissolui possibile. Ex istis malè intellectis Arist. & Auer. authoritatibus fuerint persuasi isti nimis addicti sensui, ad firmiter credendum non reperiri materiam primam, quia sensus nihil indicat de ipsa, & vltra neque esse necessariam pro rerum produ-

ctione, quia dicunt, ad tale opus explendum sufficere elementa; non animaduertentes isti miseri, quod cum materia in sui communitate accepta nõ habeat esse extra animam, teste Auer. 12. metaph. com. 14 idcirco nõ potest cadere sub sensu, & exinde pro illius inuestigatione esse innitendum intellectu, & ratione, non sensu. Unde valde puerile fuit illis dicere, quia non viderunt unquam materiam primam: propterea contendere, illam non dari, sicut valde puerile esset eisdem fateri, quia nunquam morbum per se solum viderunt, ob id putare morbum non esse: nam nec hominem insulsi viderunt unquam solum in communi, & tamen fatentur ipsos esse homines. Decipiuntur postea in malo intellectu verborum Arist. quia sensus Philosophi ibi est velle monstrare elementa nõ posse esse naturaliũ corporum materiam, nec alterum alteris, & quòd sit verũ, quærens infra Arist. eodem lib. tex. 5 causas mixtorũ magis vniuersales, quam sint elementa, inter alias ponit materiam primam, quod

etiam per longum examen probauit 1. phisi. Quare licet mixta fiant ex elementis: constabant tamen ex istis tanquam ex causis magis propinquis, at si vniuersaliores intendimus quærere, oportet deuenire ad vltimam formam, quæ est Deus gloriosus, vt visum est supra, & primam materiam, de qua est nunc sermo. Hæ nanque sunt primæ, & simplices causæ; & quæ sunt præter hæc, sunt materiæ compositæ; & formæ compositæ, vt testatur Auer. 1. phisic. com. 1. Unde cum elementa sint causæ propinquæ, eodem Auerroe teste ibidem: ergo erunt composita, & consequenter constabunt ex materia prima, in quam tandem resoluentur, quod etiam expressè fassus fuit Arist. 2. de gener. tex. 6. Diffinitio quoque elementi data à Philosopho malè intelligitur ab ipsis, quia ibi Arist. per elementum non intelligit solum illa quatuor corpora, puta ignem, aerem, terram, & aquam: sed omne quod est principium in aliqua re composita: nam exemplificat ibi in textu de syllabis respectu

dictio-

dictionum de propositionibus respectu syllogismi, & de generibus respectu specierum. Quare licet de propriè etiam dictis elementis illa diffinitio intelligi possit; tamen verius, & principalius dicetur de materia prima, cum & ipsa, vt sic possit appellari elementum, quod dixit Auer. ibidem in fine commenti, quando exponens vltima verba textus ait. Verum elementum commune omnibus compositis, quod est primum existens in vno quoque eorum, & in quòd omnia dissoluuntur esse materiam primam, & propterea non debet videri mirum si ad hunc sensum loquens ibi Arist. putà vt elementum designat materiam primam, dixerit esse illud, ex quo primò res componitur, & Auer. voluerit esse id, quod non componitur ex aliquo omnino. Vel possumus glossare hic verbum primò, idem quod propinquè, quasi voluerit dicere Arist. elementum esse illud ex quo primò, hoc est propinquè res componitur, & non quod an elementum in compositis non sit aliud primum principium,

quia sic expressè sibimet contradiceret, & mentiretur. Locus insuper Auerrois in Canticis aliter est intelligendus, quam illi intelligant, quandoquidem vult dicere Auer. elementum esse simplicius supple corporum, quæ reperiuntur in mixto. Et rursus cum ait. Elementum in nullum aliud resolui, pariter intelligit in nullum aliud, quod sit corpus, ex quo elementa sunt prima corpora simplicia, & non quod elementum non possit dissolui in aliquod prius eo, quod non sit corpus, sicut est materia prima, cum sit conflatum ex ea, vt supra est dictum, quæ glossa est de intentione Arist. 5. metaph. tex. 4. vbi inquit. Similiter etiam corporum elementa dicunt hæc dicentes vltima, in quæ corpora diuiduntur; illa verò non amplius in alia specie differentia corpora supple diuisibilia. Quapropter cognita rei veritate, firmiter credendum est, dari materiam primam, ac esse valde necessarium primum principium rerum naturalium. Verum quia ad eius naturæ notitiam difficilis

est,

est accessus, idcirco intendo in præsentiarum aliquid de ipsa disserere.

Quæ sit natura materiæ primæ. Cap. XIX.

SCribit Auerroës ad verbum 7. metaphy. com. vltimo, quod materiæ quidditas, & forma, est posse suscipere formam, & 1. cap. de substantia Orbis, dicebat, materiam primam substentari per posse, volens per hæc nobis insinuare iste Doctor, Materiæ primæ naturam, atque substantiam nil aliud esse, nisi puram potentialitatem ad formas recipiendas; & quamuis Them. 1. phisic. dixerit materiam in prima sui notione consideratam esse aliquid actu, & postea esse potentia: tamen intelligendus est ad hunc sensum, scilicet materiam esse entitatem quandam distinctam ab entitate, quæ est forma, ac esse substantiam quandam, quæ actu est materia: nam si nullo modo

haberet aliquid actus, esset non ens omnino, & ita neque posset esse potentia respectu aliorum: secundum quem sensum etiam arbitror mirabile Scotum posuisse in materia actum meritatiuum, idest actum hæreditatis; siue essentiæ distinctum à forma, quo actu neque accidentia debent excludi. Quare erit profectò prius aliquid in se materia prima, & posterius natura dicetur potentia, quæ est tota eius natura, atque esse omnino, quod potest pluribus confirmari rationibus, & prima ex ordine vniuersi in quo fundetur purus, & simplicissimus actus; quia est Deus gloriosus, cui nulla est admixta potentia, vt ostendit Arist. 8. phisic. & 12 metaph. consequenter dabitur vnum, quod est pura potentia, nullum inchadens actum, quod est materia prima. Tenet consequentia per regulam Arist. 2. cæli tex. 18. vbi ait: Quod si vnum contrariorum fuerit in rerum natura, erit & reliquum, & maximè in his, quæ sunt ad perfectionem vniuersi, & licet oppositum videatur sentire

idem

idem Philosophus in post prædic: cap. de oppositis, quando inquit: Quod si omnes homines sint albi, non erit nigrum, dico quod non obstat allegata Arist: authoritas, quia ibi loquitur secundum Logicam considerationem, in qua est satis ampla latitudo, cum sequatur imaginationem rationis, & ideo ait non implicare contradictionem, si vna existente contrariorum, aliud non existat; sed secus diceret artifex realis, qui cum sequatur naturas rerum, atque vniuersi perfectionem consideret, fatetur proinde de necessitate fieri, vt ad existentiam vnius oppositi positiui, sequatur & reliquum, quia sic exposcit complementum vniuersi. Quod si instares à simili debere dari vacuum in vniuerso, quia datur plenum, pariter debere dari infinitũ, ex quo datur finitum. Responderet Synconiensis in sua Summa super 4. phisic. in his non tenere argumentum, quia sunt contraria communiter dicta, sicut sunt habitus, & priuatio. Et si in priuatiuè oppositis videatur aliquando valere,

erit tunc quando habitus illius priuationis potest esse, & non esse: nam tunc sua priuatio poterit esse in rerū natura, sicuti est de visu, & cecitate, modo plenum, & finitum ita sunt in natura, quod non possunt non esse, & sic consequenter vacuum, & infinitum non poterunt reperiri in vniuerso, sed de his obiter, probo secunda ratione potentiam esse de essentia materiæ primæ: Inquit Arist. 1. poster. tex. 15. & 2 metaphy. tex. 4. quod propter vnum quodque tale, & illud magis, sed vniuersa generabilia participant potentia propter materiam primam, vt idem asserit Philosophus 9. metaphy. tex. 2. dum asserit in diffinitione cuiuscunque potentiæ passiuæ, cadere potentiam primæ materiæ, quare hæc maximè erit potentia, vt quod est maximè tale, sua natura est tale, ergo materia prima sua natura erit potentia. Tertiò probatur idem sic, quia datur ens habens actum, & potentiam, datur item actus purus, cui nulla est admixta potentia; ergo dabitur ens, quod est pura potentia,

mo-

modus arguendi sumptus est ex Arist. 8. phisico. tex. 37. & 12. metaph. tex. 35. vbi volens monstrare dari mouens immobile, ita arguit, datur mouens, & motum, datur motum non mouens, ergo dabitur mouens non motum, Alexander, & Auer. aiunt argumentum valere, quoniam quando duo ad inuicem vni tertio reperiuntur vnita, si alterum eorum per se reperitur, etiam alterum reperitur: quare cum reperiatur potentia admixta actui, pariter & actus purus; igitur reperietur pura potentia quoque. Quarto diffiniens materiam primam Arist. 7. metaph. tex. 8. & 2. de ani. tex. 2. non nisi per potentiam illam diffinit; quare si illa actum aliquem in sui natura includeret, vtique illius meminisset, alioquin vel Arist. non exacte naturam materiæ primæ cognouisset, vel diminutè de ea fuisset locutus, quod erroneum est asserere. Quintò idem Arist. primo phisicorum cognouit naturam materiæ primæ per transmutationem, sed hæc docet illam nul-

lum

lum habere in se actum, sed esse puram potentiam, vt patet ibi: ergo, &c. Sextò assignans causam idem Philosophus 2. de an. tex. 7. cur materia, & compositum sint vnum, inquit, quoniam forma, & actus est vnus, & propriè ens, & ob id causa, quare cætera sint talia, modo si aliqua existentia esset in materia, cuius non esset causa forma, hæc non propriè esset actus, quia non esset actus existentiæ materiæ. Septimo ait idem Arist. 8. metaphy. tex. 15. ex duobus in actu non posse fieri vnum, nisi ex accidenti: quare cum ex materia, & forma fiat vnum per se, non poterit illa, vt distinguitur ab hac habere in se aliquem actum. Quapropter omissis alijs, ex dictis firmiter concludendum est materiam primam nullum in se includere actum, nisi quem habet à forma, & proinde fieri, vt per analogiam ad hanc sit intelligibilis, teste Arist. 1. phisic. tex. 69. & ratio est, quia res sicut se habet ad esse; ita ad quod quid est, & diffinitionem, hoc est ad cognosci, teste eodem Philoso-

pho

pho 2. metaph. tex. 4. & 7. eiusdem tex. 15. Unde cum materia habeat esse à forma, idcirco sequitur, vt per hanc sit intelligibilis, sed quæret hic aliquis, quomodo materia dicatur habere esse à forma, cum hæc non possit existere sine illa? imò educatur ex ipsa, & recipiatur in ipsa: Respondet Auer. 1. cap de substantia Orbis, dicens: Materiam, & formam sibi inuicem esse causas, sed diuerso modo: nam materia sustentat formam, quia de eius sinu est educta. Forma postea sustentat materiam, quia est huius perfectio, & complementum; & propterea dicitur forma esse magis causa, quatenus dat complementum. Hinc poterit quis obiter notare vnum, puta quomodo materia dicatur esse vehiculum quiditatis, & quomodo pars eiusdem: nam comparata materia formæ, dicetur primo modo: sed si comparetur composito, quoniam sic materia concurrit ad esse huius, sicut & forma, sic poterit appellari pars quiditatis, licet magis sit forma, vnde voluit Zimara in sua tabula fol. 59. in ver-

bo forma,& materia,&c. de mente Auer.7. metaph.com.21.istam propositionem, putà homo est anima eius, esse per se in primo modo, quia forma prædicatur per se de habente formam, sed video aliquem hæsitantē, in dictis nostris, dicendo: Esto quod materia sit pura potentia, non tamen videtur posse dici esse de substantia illius, quoniam inquit Auer. 1. phisi com. 7. accidere substantiæ materię, vt sit potentia omnes formæ, aliter si potentia esset de illius substantia corrumperetur materia aduentu formæ, quia talis potentia corrumpitur, & eo magis vrget talis dubitatio, quoniam omnis potentia dicit respectum, per ipsum Auerroem ibidem, asserentem potentiam materiæ esse in predicamento relationis, non substantiæ, quare erit accidens illius, & non substantia: præsertim cum quælibet potentia includat priuationem: modò omnis priuatio corrumpitur aduentu formæ, ergo & potētia corrumpetur, & consequenter ipsa materia prima, quod est contra Philosophum, vt patet. Respondetur

detur pro Auerroe, qui videtur sibimet contrarius in hac re, distinguendo de potentia: nam quædam est vna numero tantum, sicuti est materia, subiectum, ac fundamentum omnium aliarum potentiarum, quę propriè sunt respectus, quæ in quã vna numero potentia nunquam corrumpitur, sed eadē semper permanet in omni genito secundum negationem, & quamuis & ipsa respiciat formam, sicut faciunt aliæ particulares potentiæ: nihilominus ille respectus non est accidens, quoniam non respicit formam, vt terminum oppositum, sed potius vt sui perfectionem, & complementum: nam adueniente forma, ista potentia non corrumpitur, sed perficitur, & de hac intendimus nos dum dicimus ipsam esse de substantia materiæ. Rursus cōsideretur in materia altera potentia, quæ dicitur esse accidens ei, & est illa, per quam respicit formam, vt terminum oppositum, & magis hanc quã illam formam, prout ab agente introducuntur dispositiones in materia, pro vna magis, q̃ altera forma, & proinde fit

mul-

multiplicabilis talis potentia ad numerum formarum recipiendarum; quinetiam generatur continuò, & corrumpitur ipsarum aduentu; licet in sui corruptione sit quasi operatio primæ, cum hæc conseruetur per illam, quod forsitan voluit minuere Auer. 1. cap. de substantia Orbis, quando dixit naturam materiæ primæ sustentari, hoc est conseruari per posse; quia natura materiæ primæ est receptiua formarum per istam secundam potentiam, varias successiuè suscipiendo formas. Et de hac secunda potentia intellexit Auer. dum voluit esse accidens materiæ. Pariter cum dicitur omnem respectum esse accidens, verum est de respectu respiciente formam, vt terminum oppositum, sicut fit in relatiuis secundum esse; quæ cum sint opposita, nequeunt simul stare; vt in relatiuis secundum dici, non est ita, quia in his respectus non est tanquam in oppositum, sed alio modo; de quo diximus supra. Et rursus licet videatur omnem potentiam includere priuationem, tamen est

notan-

notandum, quod aliqua veram claudit, & aliqua non veram priuationem. Unde quamuis potentia, quam nos dicimus esse materiæ essentiam, includat priuationem; non tamen veram, sed illam claudit, quæ appellatur negatio: nam dicitur priuata, quatenus est substantia de se informis, cum nullam sibi vendicet formam propriam, sed indifferenter se habeat, vt priuationem, & formam recipere possit, & sic habes declaratum, quomodo potentia sit de substantia materiæ primæ, sed video iterum te dubitare, quomodo materia prima sit pura potentia, cum sit principium substantiæ compositæ, quæ est ens reale, modo principium entis realis debet esse reale, quare non poterit materia prima esse pura potentia: Insuper quod manet idem numero sub terminis oppositis, est aliquid in re, sed materia prima est huiusmodi; ergo sua natura est aliquid in re, & tandem si materia prima sua natura non existeret, quomodo de ipsa rectè diceretur ab Arist. quod sit vnum de principijs naturalibus,

putà

putà causa materialis, formarum subiectum, & similia, quæ de materia vere dici non possent, nisi in ipsa esset aliquis actus distinctus ab illo, quem tribuit materiæ aduenìens forma. Ad quæ per ordinem respondendo dicimus, materiam esse aliquid in re, non tamen quod istud esse habeat ex se, sed à forma, cui semper est coniuncta: sed notandum quod res dicuntur fieri ex materia, non quatenus existit actu, sed vt in ipsa est potentia opposita formæ, hinc Arist. 1. phisic soluens sophisma antiquorum, dicebat: Res vtique fieri ex ente in actu, non tamen per se, sed ex accidenti, quatenus res fiunt ex materia, non vt actu est, sed vt potentia. Similiter reijcitur secunda ratio, quia fatemur materiam vt principium esse aliquid in re, non tamen quod actu existat, sed vt potentia est formarum receptiuarũ receptiua. Tandẽ soluitur vltima ratio, dicendo similiter, omnia illa prædicata verificari de materia, quæ actu est, non tamen vt actu existit, sed vt est potentia ad omnes formas. Remanet

manet

manet ergo indubitata, & clara veritas, quod materia prima non est nisi subiectum potens, & quòd negare potentiam facere esse materiæ, est tollere de medio materiam primam, quod dixit Arist. 9. metaph. tex. 6. Et de natura materiæ primæ hæc sint satis.

In materia prima non datur forma corporeitatis substantialis. Cap. XX.

EX *dictis supra de materia primà, satis vnicuique patere arbitror, quam inique contendant illi, qui volunt reperiri in illa formam corporeitatis de prædicamento substantiæ: nam vt addam aliquid his, quæ diximus in præcedenti capite, quomodo materia prima poterit habere huiusmodi formã sibi coexistentem, & coæternam? cum teste Arist. 3. de ani. tex. 4. Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti: modo materia*

debet recipere omnes formas, per eundem Philosophum 8. metaph. tex. 3. ergo debet esse denudata, ab omni forma. Praeterea quaererem ab istis de illa forma coaexistente, an sit educta de potentia materiae, vel ne, sed non potest dici primum, quia quod est sit, est corruptibile, vt patet, & sic contra ipsos, talis forma non esset coaeterna cum materia, neque potest dici secundum, quia tunc talis forma esset vna ex separatis, quod est falsum, quare nullo modo poterit materiae inesse talis forma. Vlterius si aliqua forma inesset materiae, tota transmutatio postea esset in accidentibus, fundamentum rationis est, quoniam omnis forma, quae est substantia, dat simpliciter esse, ac ponit in actu id cuius est forma, modo omne adueniens enti in actu, est accidens, vt patet; igitur cum consequens sit falsum, erit etiã & antecedens. Insuper si forma aliqua inesset materiae, tunc construeret corpus, & si ita, tunc tale corpus, aut esset mathematicum; aut naturale, cum aliud non detur, sed non primum, quia tale est

trina dimensio, quæ est accidens, contra ipsos, ergo erit corpus naturale, & consequenter illa forma erit natura, modo natura, quæ est forma: est principium actiuum motus per Arist. 2. phisi. tex. 4. igitur & ipsa erit alicuius motus principium, sed non alterationis, quia corpus simplex, sicut esset illud, non potest habere intus principium actiuum alterationis, teste Auer. 2. phisi. com. 1. neque rursus potest esse augmenti, aut decrementi, quoniam non est corpus viuens, in quo tantum verè reperitur talis motus, neque etiam motus localis: nam cum hic sit duplex, videlicet, mixtus, & simplex, non poterit esse principium motus mixti, quia talis motus corpori simplici conuenire non potest, neque etiam motus simplicis: nam cum hic sit quoque duplex, putà rectus, & circularis fieri non potest, vt sit principium motus recti, quoniam cum iste sit proprius formæ elementi, sequeretur quod tale corpus esset aliquod elementorũ, neque potest dici quòd sit principium motus circularis, quia tunc

esset corpus cæleste, cui proprie competit moueri circulariter, & sic illa forma esset anima cæli, quod fatuum est asserere. Neque valet subterfugere dicendo, quod licet illi formæ quatenus est forma, conueniat esse talis, tamen repugnat ipsi, quia est forma generica, cum quod per se est tale, semper sit tale, & proinde si forma hæc generica, vt forma, & natura habet, vt sit principium motus, ergo vt generica sibi oppositum prædicatum conuenire non potest: si quidem nihil potest alicui conuenire sub ratione generis, & in communi, quod totaliter repugnet ei, quod sibi spectat ratione propria. Accedit, quod si forma illa generica, vt forma habet, vt possit esse principium motus, cum hæc potentia nunquam reducatur ad actum, neq; secundum speciem, neque secundum indiuiduum, erit otiosa, vt enim si homo ratione qua animal, haberet potentiam ad esse hynnibile, cum talis potentia nunquam sit reducibilis ad actum, esset vtique frustra nata teste Arist. 2. phys. tex. 26. frustra

est illud, quod natum est attingere aliquem finem, & non attingit, sed natura nihil facit frustra per eundem Philosophum ibi: ergo, &c. Amplius si illa forma generica quatenus forma potest esse principium motus, reducatur ista potentia ad actũ: nam possibili posito in esse, nullum inde sequitur inconueniens, quod si ponatur, sequetur impossibile; nimirum idem simul, & semel esse principium motus, & non esse: siquidem dicetur esse, quatenus est forma, non erit postea, pro quanto est forma generica, quæ ratio sumpta est ex Arist. 1. cæli tex. 129. 134. & 136. & ibidem ab Auerroe, quando ostendit cælum non posse esse sua natura corruptibile, & ab alio perpetuari. Quare vana est distinctio de forma generica, & specifica, ex quo fieri non potest, ut detur in re forma aliqua generica, quæ non sit specifica, cum genus non habeat esse reale distinctum à suis speciebus, & per eandem formam corpus sit corpus, & tale corpus: veluti ignis eadem forma est ignis, & corpus:

vnde Arist. 1. de gener. tex. 31. negans corpus commune, quod non sit tale corpus, dicebat sic, quoniam est materia, & substantiæ corporeæ, & talis corporis: corpus enim commune nullum, in quibus verbis patet, quam clarè Philosophus reijciat hanc formam genericam, sed multo clarius explodit ipsam 2. de gener. tex. 3. dum inquit. Facientes vnam materiam extra corpora elementorum, & illam separabilem, atque corpoream, peccant, impossibile est enim sine contrarietate esse corpus sensile, aut nanque graue, aut leue, aut calidū, aut frigidum necesse est esse, quod idem fatetur 3. phisic. tex. 44. & 45. Amplius quærens Arist. 7. metaph. tex. 42. & 43. quare diffinitio cum habeat partes, dicatur esse tantum vna, inquit, quoniam vltima forma, seu differentia est actu vna, omnes superiores potentia continens: Si igitur forma corporis esset distincta ab vltima forma, hæc non contineret esse totius rei, aut cum suo propinquo genere non explicaret, & tandem habetur hæc

veritas

veritas clare ab Arist. 2. de gener. tex. 6. vbi ponens ordinem in materia prima pro formarum receptione, inquit, primò quidem potentia corpus sensile principium est: secundo autem primæ contrarietates, puta calidum, & frigidũ: tertiò ignis, & aqua, cum alijs, modo si daretur illa forma corporis substantialis, primum principium non esset potentia corpus sensile, quia per illam formam corporis reponeretur in actu: igitur concludendo dico falsò poni, & ab illis formam materiæ primæ coæternam: Neque valet quicquam probatio adducta ab ipsis de necessitate talis formæ; nimirum quod si hæc non præesset in materia, tunc formæ crearentur, quia nihil earum præsupponeretur, & sic productio esset creatio: propterquòd appellant illã formam seminarium, & inchoatiuũ formarum quasi in ipsa sint inchoatæ formæ, ac ab ipsa eductæ, quandoquidem, teste Arist. 7. metaph. tex. 27. Compositum est illud, quod vere generatur. Materia verò & forma ex accidenti, quod testatur etiã

Auer. primo phisic. comment. 62. & propterea non creatur compositum, quia aliquid ipsius præsupponitur, vt materia, nanque id tenent Philosophi creari, quod fit ex non præsupposita materia, & non ex forma non præsupposita, pariter & forma, licet concedatur generari per se, non tamen dicetur creari; quoniam præsupponitur materia, ex qua educitur. Neque rursus concluditur ab ipsis necessitas illius formæ, ad hoc vt generatio dicatur naturalis, quia (vt arguunt illi) si non præcesset forma tanquam principium actiuum, sed solum materia principium passiuum, tunc generatio naturalis non differret ab artificiali, cum in hac etiam præsupponatur materia, in qua debeat recipi forma, sicut fit in illa. Siquidem stat differentia inter artem, & naturam, quia in hac forma semper perficit materiam, & ista nunquam expoliatur illa, at materia artis non est sic: nam stabit lignum quod potest esse materia cathedræ sine forma huius, quousque introducatur ipsa ab arti-

artifice lignario, & vltra appellatur illa naturalis, hæc vero artificialis, quoniam illius principium est natura, non tamen quæ est forma potentialis ab illis cognominata, cum illa etiam si daretur, non posset esse principium actiuum; huius autem est ars, & ideo stat discrimen inter ipsas re, & nomine. Quod si forsan dicerent cum Arist. 1. phis. tex. 43. quodlibet non fieri ex quolibet, sed determinatum ex determinato, & proinde opus esse aliquid formæ præesse in materia, per quam determinetur quod est ante generationem, postquam materia in se est indifferens ad omnes formas recipiendas. Hoc non obstat, quia nō intelligit Arist. de forma corporis, sed de forma propria contraria formæ generandæ. Neq; insuper si dicatur ab ipsis cū Auer. 1. phis. com. 62 denotari talē formā præesse imperfectā in materia, quæ postea per generationē perficitur, dum ait, in spermate, ex quo fit homo, non cessare partes spermatis recedere, & partes hominis fieri, donec tota hominis forma perficiatur:

nam

-Tttt.

nam respondetur id non fuisse dictum ab Auerroe, quia antea erat in potentia materiæ, & postea per generationem ad actum deducatur, & proinde dicatur fieri perfecta, atque completa, sed quia continuò introducuntur ab agente naturali dispositiones pro forma cõtraria introducenda, & sic deperduntur illæ, quæ inerant pro forma abijcienda. Ulterius si adducatur ab ipsis alius locus Auer. 2. phisic. com. 15. ubi idem affirmare videtur, dicendo privationem in materia præexistentem non esse simpliciter priuationem, sed quasi formam materiæ, est sciendum pro tanto Auerroem dicere priuationem esse quasi formam materiæ, pro quanto illa in hac, ultra formæ negationem, denotat potentiam ad illam, & ideo cum per talem priuationem materia fiat determinatè una, inde fit, ut dicatur quasi forma, non quæ inhæreat, sed quæ materiæ essentiam declaret; & tandem si instetur iterum per Auer. 1. phisic. com. 81. quando inquit, materiam appetere formam, propter illud quod habet.

bet de motu ad formam recipiendam, & addatur postea talem appetitum non posse esse in illa, nisi ratione formæ præexistentis in materia; respondeo instantiam non tenere, quia vt vult Philosophus ibidem materia ex se appetit formam, sicut fœmina virum, & ideo non est necessaria forma corporis, vt ista intermedia, fiat talis appetitus in materia, neque Auerroes id sentit in verbis allegatis, cum loquatur ipse de materia secunda, in qua cum inducantur dispositiones aliquando facientes magis pro hac forma, quàm pro illa, fit proinde, vt dicatur materia appetere magis hanc formam, quam aliam, & ad hunc sensum dicitur ab Auerroe materiam habere aliquid formæ, quia habet tunc dispositiones, facientes pro introductione talis formæ: vana est igitur omnino positio formæ corporis substantialis coæternæ cum materia prima, sed bene fateor cum magno Auerroe reperiri in ipsa coæxistentiam formæ corporeitatis de prædicamento quantitatis, qualis est trina dimensio, à qua

nun-

nunquam materiam denudari, apparebit nunc in capite sequenti.

Materiam primam habere trinam dimensionem sibi coexistentem, atque coæternam necessariò. Cap. XXI.

PRobat magnus Auer. 1. cap. de substantia orbis necessitatem coexistentiæ dimensionum in materia prima ex pluribus; & primo quia aliter formæ naturales, tum per se cum per accides essent indiuisibiles, patet sequela ex duobus suppositis, & acceptis, quorum primum est: omnem diuisione possibile accidere formæ, esse merito quantitatis: siquidem omne habens partem extra partem, & quod diuiditur, est necesse, vt sit quantum, teste Arist. 5 metaph. cap. de quanto. Alterum suppositum est, omne receptibile recipi per modum suscipientis, ita vt etiam impartibile si recipiatur in aliquo diuisibili, suscipiatur diuisibiliter veluti albedo, quæ de

se est-

se est indiuisibilis, quia media superficie, quæ est diuisibilis recipitur in corpore, inde fit, vt diuisibiliter in eo recipiatur, vnde dicebat Arist. in libro Prædicam. cap. de quantitate, tantam fore albedinem, quanta est superficies alba; quo fundamento monstrauit ibidem Auerroes, intelligentias esse indiuisibiles; quoniam sunt formæ receptæ non mediante aliquo diuisibili, putà, quāto pariter vice versa est præaccipiendum, omne receptum mediante aliquo indiuisibili, recipi etiam indiuisibiliter. Quibus sic positis, clara est modo consequentia, quoniam si materia non esset quanta, sed antea reciperet formam, cum ipsa de se sit indiuisibilis, per primum suppositum, quia non est quanta, sic formam indiuisibiliter reciperet, vnde talis forma, & ratione propria, & ratione materiæ esset indiuisibilis, neque potest dici fieri diuisibilis per quantitatem sequentem, quia per secūdum suppositum, cum ista quantitas recipiatur per intermediam formam, quæ est indiuisi-

bilis,

bilis, ipsa quoque indiuisibiliter reciperetur; quare neque illa forma posset diuidi, & consequenter tàm per se, quàm per accidens esset indiuisibilis: Secunda necessitas dimensionum in materiam fuit propter motum, quandoquidem sine illis tolleretur motus, quòd sit manifestum eodem fundamento: nam cum materia, & forma sint indiuisibiles, etiam qualitas in ea recepta fiet indiuisibilis; ergo & totum compositum erit indiuisibile, & consequenter immobile, quoniam teste Arist. 6. phisic. tex. 32. omne mobile est diuisibile. Tertia necessitas est, quia aliter tolleretur generatio, & corruptio, & sic entium multitudo periret: nam materia semper haberet vnam formam; & non posset recipere aliam, neque simul, neque successiuè, quæ consequentia ita deducitur, & primò quòd non simul, quia cum forma quæ debet recipi sit diuersa à prima, quæ inest, & proinde non potentes se simul compati in eodem puncto materiæ, est opus, vt habeat partem extra partem, & sic diui-

sio-

sionem in partibus; sed hanc habere non potest nisi meritò quantitatis, vt dictum est supra in primo supposito; igitur si materia careret dimensione, non posset in eodem tempore plures formas recipere, sed vnicam tantum semper teneret. Neque posset rursus materia recipere formas successiuè, quia si illa est receptura aliam formam, oportet prius corrumpi in ipsa forma, quæ inest, & ita egebit corrumpente: at corrumpens debet communicare in materia cum corrupto: hoc autem fieri non potest, nisi materia habeat dimensionem, & partes, quarum merito sit sub corrupto, & corrumpente: ergo, &c. Quarta, & vltima necessitas est, quia aliter, vt deducit Auer. loco supra allegato, corpus fieret ex non corpore, & dimensio ex non dimensione; neque potest dici istam generari, & corrumpi: nam tunc esset sibi contraria in eadem materia succedens, cum omne quod fit ex suo opposito fiat per Arist. 1. phisic. Quam veritatem cognouit quoque Themistius referente Auerroe 3. cæli. com.

17.

debet recipere omnes formas, per eundem Philosophum 8. metaph. tex. 3. ergo debet esse denudata, ab omni forma. Præterea quærerem ab istis de illa forma coæxistente, an sit educta de potentia materiæ, vel ne, sed non potest dici primum, quia quod est sit, est corruptibile, vt patet, & sic contra ipsos, talis forma non esset coæterna cum materia, neque potest dici secundum, quia tunc talis forma esset vna ex separatis, quod est falsum, quare nullo modo poterit materiæ inesse talis forma. Vlterius si aliqua forma inesset materiæ, tota transmutatio postea esset in accidentibus, fundamentum rationis est, quoniam omnis forma, quæ est substantia, dat simpliciter esse, ac ponit in actu id cuius est forma, modo omne adueniens enti in actu, est accidens, vt patet; igitur cum consequens sit falsum, erit etiã & antecedens. Insuper si forma aliqua inesset materiæ, tunc construeret corpus, & si ita, tunc tale corpus, aut esset mathematicum; aut naturale, cum aliud non detur, sed non primum, quia tale est

trina

trina dimensio, quæ est accidens, contra ipsos, ergo erit corpus naturale, & consequenter illa forma erit natura, modo natura, quæ est forma: est principium actiuum motus per Arist. 2. phisi. tex. 4. igitur & ipsa erit alicuius motus principium, sed non alterationis, quia corpus simplex, sicut esset illud, non potest habere intus principium actiuum alterationis, teste Auer. 2. phisi. com. 1. neque rursus potest esse augmenti, aut decrementi, quoniam non est corpus viuens, in quo tantum vere reperitur talis motus, neque etiam motus localis; nam cum hic sit duplex, videlicet, mixtus, & simplex, non poterit esse principium motus mixti, quia talis motus corpori simplici conuenire non potest, neque etiam motus simplicis: nam cum hic sit quoque duplex, puta rectus, & circularis fieri non potest, vt sit principium motus recti, quoniam cum iste sit proprius formæ elementi, sequeretur quod tale corpus esset aliquod elementorũ, neque potest dici quod sit principium motus circularis, quia tunc

esset corpus cæleste, cui proprie competit moueri circulariter, & sic illa forma esset anima cæli, quod fatuum est asserere. Neque valet subterfugere dicendo, quod licet illi formæ quatenus est forma, conueniat esse talis; tamen repugnat ipsi, quia est forma generica, cum quod per se est tale, semper sit tale, & proinde si forma hæc generica, vt forma, & natura habet, vt sit principium motus, ergo vt generica sibi oppositum prædicatum conuenire non potest: siquidem nihil potest alicui conuenire sub ratione generis, & in communi, quod totaliter repugnet ei, quod sibi spectat ratione proprii. Accedit, quod si forma illa generica, vt forma habet, vt possit esse principium motus, cum hæc potentia nunquam reducatur ad actum, neq; secundum speciem, neque secundum indiuiduum, erit otiosa, velut si homo ratione qua animal, haberet potentiam ad esse hynnibile, cum talis potentia nunquam sit reducibilis ad actum, esset vtique frustra nata teste Arist. 2. physic. tex. 2 6. frustra

est illud, quod natum est attingere aliquem finem, & non attingit, sed natura nihil facit frustra per eundem Philosophum ibi: ergo, &c. Amplius si illa forma generica quatenus forma potest esse principium motus, reducatur ista potentia ad actũ: nam possibili posito in esse, nullum inde sequitur inconueniens, quod si ponatur, sequetur impossibile; nimirum idem simul, & semel esse principium motus, & non esse: siquidem dicetur esse, quatenus est forma, non erit postea, pro quanto est forma generica, quæ ratio sumpta est ex Arist. 1. cæli tex. 130. 134. & 136. & ibidem ab Auerroe quando ostendit cælum non posse esse sua natura corruptibile, & ab alio perpetuari. Quare vana est distinctio de forma generica, & specifica, ex quo fieri non potest, vt detur in re forma aliqua generica, quæ non sit specifica, cum genus non habeat esse reale distinctum à suis speciebus, & per eandem formam corpus sit corpus, & tale corpus: velut ignis eadem forma est ignis, & corpus;

vnde Arist. 1. de gener. tex. 31. negans corpus commune, quod non sit tale corpus, dicebat sic, quoniam est materia, & substantiæ corporeæ, & talis corporis: corpus enim commune nullum, in quibus verbis patet, quam clarè Philosophus reijciat hanc formam genericam, sed multo clarius explodit ipsam 2. de gener. tex. 3. dum inquit. Facientes vnam materiam extra corpora elementorum, & illam separabilem, atque corpoream, peccant, impossibile est enim sine contrarietate esse corpus sensile, aut nanque graue, aut leue, aut calidũ, aut frigidum necesse est esse, quod idem fatetur 3. phisic. tex. 44. & 45. Amplius quærens Arist. 7. metaph. tex. 42. & 43. quare diffinitio cum habeat partes, dicatur esse tantum vna, inquit, quoniam vltima forma, seu differentia est actu vna, omnes superiores potentia continens: Si igitur forma corporis esset distincta ab vltima forma, hæc non contineret esse totius rei, aut cum suo propinquo genere non explicaret, & tandem habetur hæc

veritas

veritas clare ab Arist. 2. de gener. tex. 6. vbi ponens ordinem in materia prima pro formarum receptione, inquit, primò quidem potentia corpus sensile principium est: secundo autem primæ contrarietates, puta calidum, & frigidū: tertiò ignis, & aqua, cum alijs, modo si daretur illa forma corporis substantialis, primum principium non esset potentia corpus sensile, quia per illam formam corporis reponeretur in actu: igitur concludendo dico falsò poni, & ab illis formam materiæ primæ coæternam: Neque valet quicquam probatio adducta ab ipsis de necessitate talis formæ; nimirum quod si hæc non præesset in materia, tunc formæ crearentur, quia nihil earum præsupponeretur, & sic productio esset creatio: propterquòd appellant illā formam seminarium, & inchoatiuū formarum quasi in ipsa sint inchoatæ formæ, ac ab ipsa eductæ, quandoquidem, teste Arist. 7. metaph. tex. 27. Compositum est illud, quod verè generatur. Materia verò & forma ex accidenti, quod testatur etiā

Auer. primo phisic. comment. 82. & propterea non creatur compositum, quia aliquid ipsius præsupponitur, vt materia, nanque id tenent Philosophi creari, quod fit ex non præsupposita materia, & non ex forma non præsupposita; pariter & forma, licet concedatur generari per se, non tamen dicetur creari; quoniam præsupponitur materia, ex qua educitur. Neque rursus concluditur ab ipsis necessitas illius formæ, ad hoc vt generatio dicatur naturalis, quia (vt arguunt illi) si non præesset forma tanquam principium actiuum, sed solum materia principium passiuum; tunc generatio naturalis non differret ab artificiali, cum in hac etiam præsupponatur materia, in qua debeat recipi forma, sicut fit in illa: siquidem fiat differentia inter artem, & naturam, quia in hac forma semper perficit materiam, & ista nunquam expoliatur illa, at materia artis non est sic: nam stabit lignum quod potest esse materia cathedræ sine forma huius, quousque introducatur ipsa ab

arti-

artifice lignario, & vltra appellatur illa naturalis, hæc verò artificialis, quoniam illius principium est natura, non tamen quæ est forma potentialis ab illis cognominata, cum illa etiam si daretur, non posset esse principium actiuum; huius autem est ars, & ideo stat discrimen inter ipsas re, & nomine. Quod si forsan dicerent cum Arist. 1. phisi. tex. 48. quodlibet non fieri ex quolibet, sed determinatum ex determinato, & proinde opus esse aliquid formæ præesse in materia, per quam determinetur quod est ante generationem, postquam materia in se est indifferens ad omnes formas recipiendas. Hoc non obstat, quia nõ intelligit Arist. de forma corporis, sed de forma propria contraria formæ generandæ. Neq; insuper si dicatur ab ipsis cũ Auer. 1. phis. com. 62. denotari talẽ formã præesse imperfectã in materia, quæ postea per generationẽ perficitur, dum ait, in spermate, ex quo fit homo, videre partes spermatis recedere, & partes hominis fieri, donec tota hominis forma perficiatur:

nam

nam respondetur id non fuisse dictum ab Auerroe, quia antea erat in potentia materia, & postea per generationem ad actum deducatur, & proinde dicatur fieri perfecta, atque completa, sed quia continuò introducuntur ab agente naturali dispositiones pro forma cōtraria introducenda, & sic deperduntur illæ, quæ inerant pro forma abijcienda. Ulterius si adducatur ab ipsis alius locus Auer. 2. phisic. com. 15. ubi idem affirmare videtur, dicendo: priuationem in materia præexistentem non esse simpliciter priuationem, sed quasi formam materiæ, est sciendum pro tanto Auerroem dicere priuationem esse quasi formam materiæ, pro quanto illa in hac, ultra formæ negationem, denotat potentiam ad illam, & ideo cum per talem priuationem materia fiat determinate una, inde fit, ut dicatur quasi forma, non quæ inhæreat, sed quæ materiæ essentiam declaret, & tandem si instetur iterum per Auer. 1. phisic. com. 81. quando inquit, materiam appetere formam, propter illud quod habet.

bet de motu ad formam recipiendam, & addatur postea talem appetitum non posse esse in illa, nisi ratione formæ præexistentis in materia; respondeo instantiam non tenere, quia vt vult Philosophus ibidem materia ex se appetit formam, sicut fœmina virum, & ideo non est necessaria forma corporis, vt ista intermedia, fiat talis appetitus in materia, neque Auerroes id sentit in verbis allegatis, cum loquatur ipse de materia secunda, in qua cum inducantur dispositiones aliquando facientes magis pro hac forma, quàm pro illa, fit proinde, vt dicatur materia appetere magis hanc formam, quam aliam; & ad hunc sensum dicitur ab Auerroe materiam habere aliquid formæ, quia habet tunc dispositiones, facientes pro introductione talis formæ: vana est igitur omnino positio formæ corporis substantialis coæternæ cum materia prima, sed bene fateor cum magno Auerroe reperiri in ipsa coæxistentiam formæ corporeitatis de prædicamento quantitatis, qualis est trina dimensio, à qua

nun-

nunquam materiam denudari, apparebit nunc in capite sequenti.

Materiam primam habere trinam dimensionem sibi coexistentem, atque coæternam necessariò. Cap. XXI.

PRobat magnus Auer. 1. cap. de substantia orbis necessitatem coexistentiæ dimensionum in materia prima ex pluribus; & primo quia aliter formæ naturales, tum per se cum per accides essent indiuisibiles, patet sequela ex duobus suppositis, & acceptis, quorum primum est: omnem diuisione possibile accidere formæ, esse merito quantitatis: siquidem omne habens partem extra partem, & quod diuiditur, est necesse, vt sit quantum, teste Arist. 5 metaph. cap. de quanto. Alterum suppositum est, omne receptibile recipi per modum suscipientis, ita vt etiam impartibile si recipiatur in aliquo diuisibili, suscipiatur diuisibiliter veluti albedo, quæ de

se est

se est indiuisibilis, quia media superficie, quæ est diuisibilis recipitur in corpore, inde fit, vt diuisibiliter in eo recipiatur, vnde dicebat Arist. in libro Prædicam. cap. de quantitate, tantam fore albedinem, quanta erit superficies alba; quo fundamento monstrauit ibidem Auerroes, intelligentias esse indiuisibiles; quoniam sunt formæ receptæ non mediante aliquo diuisibili, putà, quāto pariter vice versa est præaccipiendum, omne receptum mediante aliquo indiuisibili, recipi etiam indiuisibiliter. Quibus sic positis, clara est modo consequentia, quoniam si materia non esset quanta, sed antea reciperet formam, cum ipsa de se sit indiuisibilis, per primum suppositum, quia non est quanta, sic formam indiuisibiliter reciperet, vnde talis forma, & ratione propria, & ratione materiæ esset indiuisibilis, neque potest dici fieri diuisibilis per quantitatem sequentem, quia per secundum suppositum, cum ista quantitas recipiatur per intermediam formam, quæ est indiuisibilis,

bilis, ipsa quoque indiuisibiliter reciperetur, quare neque illa forma posset diuidi, & consequenter tàm per se, quàm per accidens esset indiuisibilis: Secunda necessitas dimensionum in materiam fuit propter motum, quandoquidem sine illis tolleretur motus, quòd sit manifestum eodem fundamento: nam cum materia, & forma sint indiuisibiles, etiam qualitas in ea recepta fiet indiuisibilis; ergo & totum compositum erit indiuisibile, & consequenter immobile; quoniam teste Arist. 6. phisic. tex. 32. omne mobile est diuisibile. **Tertia** *necessitas est, quia aliter tolleretur generatio, & corruptio, & sic entium multitudo periret: nam materia semper haberet vnam formam; & non posset recipere aliam, neque simul, neque successiuè, quæ consequentia ita deducitur, & primò quòd non simul, quia cum forma quæ debet recipi sit diuersa à prima, quæ inest, & proinde non potentes se simul compati in eodem puncto materiæ, est opus, vt habeat partem extra partem, & sic diui-*

sio-

sionem in partibus; sed hanc habere non potest nisi meritò quantitatis, vt dictum est supra in primo supposito; igitur si materia careret dimensione, non posset in eodem tempore plures formas recipere, sed vnicam tantum semper teneret. Neque posset rursus materia recipere formas successiuè, quia si illa est receptura aliam formam, oportet prius corrumpi in ipsa forma, quæ inest, & ita egebit corrumpente: at corrumpens debet communicare in materia cum corrupto: hoc autem fieri non potest, nisi materia habeat dimensionem, & partes, quarum merito sit sub corrupto, & corrumpente: ergo, &c. Quarta, & vltima necessitas est, quia aliter, vt deducit Auer. loco supra allegato, corpus fieret ex non corpore, & dimensio ex non dimensione; neque potest dici istam generari, & corrumpi: nam tunc esset sibi contraria in eadem materia succedens, cum omne quod fit ex suo opposito fiat per Arist. 1. phisic. Quam veritatem cognouit quoque Themistius referente Auerroe 3. cæli. com.

17.

17. vide eum, & insinuauit Arist. 2. de generat. tex. 25. & 29. quando dixit qualitates symbolas remanere easdem in genito, & corrupto, ad hoc vt facilior sit transitus, modo si qualitates illæ remanent vt interminatæ, ergo & dimensiones poterunt similiter remanere, cum non possit assignari maior ratio de illis, quam de ipsis; sed instabit vigoratus intellectus, dicendo: Qualitatem potius, quam quantitatem esse priorem in substantia materiæ: nam cum quantitas sit ex qualitatibus secundis, vt densitas, & raritas, quæ sunt qualitates insequentes caliditatem, & frigiditatem, atque ipsa quantitas orta insequatur illas qualitates, cum ad densitatem sequatur minor quantitas, sicut ad raritatem maior, ob id videtur, quod qualitas sit prior, quam quantitas in substantia. Quæret amplius de dimensionibus, quomodo sit verum remanere easdem numero in genito, & corrupto; quandoquidem in genito quandoque quantitas est maior, quam in corrupto, vt quando ex aere

fit

ignis: quare si eadem dimensio est vtrobique, quęritur de illa parte, quæ est maior, an sit eadem præcisè cum priori, aut alia; sed non potest dici esse eadem, quia tunc idem esset maius, & minus respectu eiusdem, ergo erit alia, & sic in genito erit aliqua pars maior, quæ non præfuit in corrupto, & tunc argumentabitur ita: Quando sunt aliqua eiusdem rationis, quod vni per se conuenit, etiam alteri per se conueniet, teste Arist. 2. cæli tex. 59. ergo si vna pars est generabilis, & corruptibilis, erit etiã & alia, nanq; fieri non potest, vt quæ sunt eiusdem rationis, alterum illorum sit æternum, & alterum corruptibile, cum hæc plusquam genere differant, vt inquit Arist. 10. metaph. tex. vltimo. Quare non erit dimensio æterna in materia prima. Respondetur dicendo ad primam instantiam cum Leuigers. in libro prædicamentorum cap. de incomplexis, quòd bene qualitas indiuiduę est prior in subiecto quantitate propria, vt ratio probat, sed de absoluta non est sic: Siquidem

K causa

causa qualitatum contrariarum in elementis existentium, est ipsa quantitas absoluta, & simpliciter reperta in materia prima; vt etiam affirmat Auer. 3. cæli com. 7. quando inquit, ad formam, quæ est trina dimensio in materia primo existentem, sequi reliquas qualitates, putà caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem; vnde in primo sensu procedit ratio adducta: in secundo stat veritas nostræ opinionis, quæ est mirabilis Auerrois. Ad secundum dicimus argumentum valere de dimensione terminata, quæ quia modò accipit vnum terminum, & modò alium; prout coniungitur diuersæ formæ, hinc fit alia, & alia, & consequenter generabilis, & corruptibilis. Secus autē est de interminata, de qua nos intelligimus, & ob id nihil cōcludit. Quærenti postea scire modum essendi istarum dimensionum, dicimus esse ad instar materiæ primæ, in qua fundantur: vnde sicut materia nullum in se habet actum, sed est potentia ad omnem formam; sic dimensio ipsi

coexi-

coexistens nullum dicitur habere terminum, sed esse potentia ad omnem terminum; & sicut materia, prout diuersam suscipit formam, sic recipit aliud & aliud esse; ita etiam dimensio per aliam, atque aliam formam, alium, ac alium recipit terminum; & tandem veluti materia dicitur vna numero per priuationem omnium formarum, eadem permanens in genito, & corrupto; ita dimensio per priuationem terminorum est similiter vna numero in vtroque. Pro quare debes amplius notare, terminatam, & interminatam dimensionem realiter esse eandem numero, & solum differre ratione. Nam si consideretur, quatenus non habet certum extensionis gradum, & vt non est iuncta huic, vel illi formæ, sic dicetur interminata; sed si habeatur consideratio de eadem, vt habet certum gradum extensionis, atque vt est alligata certæ formæ, tunc appellabitur terminata: nam forma substantialis est terminus dimensionis, quæ est accidens, licet non propriè, quia sic est tanta quan-

titas, sed potius causaliter, quatenus forma est causa, vt dimensio recipiat terminum extrinsecum extensum in gradu tantæ quantitatis: nam de intrinseco secus est, quia terminus longitudinis est punctus, latitudinis longitudo; & profunditatis latitudo. Quare patet ex dictis necessitas dimensionum in materia prima, ac modus essendi illarum in eadem: sed contra ista nostra decisa, sunt quædam rationes, & authoritates satis apparentes, quas intendo in medium adducere, & soluere, vt sic nihil ambigui remaneat in dictis nostris. Prima ratio sumpta est ex verbis Auer. 2. de an. com. 4. vbi ponens differentiam inter formas substantiales, & accidentales, inquit, illas fundari in ente in potentia, istas verò in ente in actu: quare cum dimensio sit accidens, non poterit fundari in materia prima, quæ est pura potentia, siquidem ens per se semper est prius ente per accidens, per Arist. 7. metaphys. secundo arguitur ad idem quia cum materia prima sit pura potentia

respectu

respectu omnium formarum, & consequenter potentia contradictionis, sic non magis vendicabit sibi dimensionem, quàm huius priuationem. Tertiò cum dimensio sit forma materialis, vt patet, ergo educetur de potentia materiæ, quare erit generabilis, & corruptibilis, & ita non æterna, vt posuimus in prima materia. Soluimus dicendo ad primam, Auerroem intelligere de accidentibus terminatis, quæ vtique non possunt recipi nisi in substantia composita, & ente in actu, sed secus est de interminatis, sicut sunt dimensiones: nam istæ possunt fundari in ente in potentia, neque debet hoc videri alicui mirum, quia cum oppositorum sint causæ oppositæ, sicut à forma accidentia recipiunt terminum, ita à materia causa opposita habent interminationem; & si replicabitur tunc nullam esse differentiam inter formam substantialem, & accidentalem, si vtraque potest suscipi in ente in potentia contra Auerroem loco supra allegato, respondeo

formam substantialem distingui ab accidente terminato penes illud quod ponit Auerroes; sed ab interminatis differt, quia forma substantialis est pars substantiæ. Accidentia verò interminata nequaquam, & ita saluatur discrimen in vtrisque, modo tamen diuerso; & quamuis ens per se præcedat ens per accidens, tamen potest aliquando hoc præcedere illud, tanquam dispositio; cum actus, seu forma non possit recipi nisi in subiecto disposito, teste Arist. 2. de ani. tex. 24. & sic non inconuenit, quod accidens, vt dispositio præcedat formam substantialem. Ad secundam, & tertiam respondetur vnica solutione, dicendo materiam secundam esse illam, quæ propriè appellatur forma contradictionis, cum hæc in rei veritate sit illa, quæ dum est sub vna forma, est in potentia ad oppositam, vel & melius dicere possumus, quod est vtique materia prima pura potentia respectu omnium formarum materialium: illarum tamen, quæ verè & propriè sunt formæ, sicut sunt illæ, quæ è sinu

ma-

materiæ educuntur ab ipso generante, ad quas propriè materia dicitur esse potentia contradictionis, quo modo dimensio non potest appellari forma materialis, ex quo ipsa semper materiæ coexistit, & si ita appellare eam habet, in propriè satis sic appellabitur, & tunc minor argumenti vtrobique est falsa, & proinde nihil concludunt rationes adductæ contra superius à nobis determinata. Et de materia prima cum suis dimensionibus, & alijs hæc dicta sufficiant.

De priuatione quid sit, & quæ huius natura. Cap. XXII.

PRiuatio de qua hic intendimus, nil aliud est, nisi forma in materia existens, atque ea expellenda, dicta principium transmutationis à quo, ad suam formam, & vice versa reciprocatio: cuius natura est, vt sit carentia formæ in subiecto apto nato suscipere illam, sicut priuatio in animali

carente forma, est aptitudo suscipiendi talem formam, differens à pura priuatione, qualis est tenebra, quia hæc nil aliud denotat nisi subiectum aptum natum suscipere lumen, nullum in hoc designans formam, contra quam faciat priuatio materiæ annexa, de qua nos loquimur, differens amplius à pura negatione, quæ absolutè, & simpliciter negat omnino esse, tum ab illa quæ negat circa determinatum subiectum, dicta pariter de ente, & non ente, vt est lapis non videns, quod negat actum videndi, cum non sit aptus natus videre, quam in lapide non apta nata ad videndum, cum vterque possit dici non videns. Quare nostra intentio priuationis ipsius, sufficiens fuit cognita esse in[illegible] ipse ostendis rem aliquam dum ipsa sit prius non fuisse, deinde peruenire ad esse. Et vicissim eandem de esse corrumpi ad non esse, & in his omnibus determinatum ex determinato, & non quodlibet ex quolibet, vnde quodlibet, in quodlibet, vt do-

docuit Arist. primo phisicorum, textu quadragesimo tertio, & quadragesimo quarto.

An priuatio sit principium per se, aut per accidens? Cap. XXII.

SEd an priuatio sit principium per se, & extra animam, an per accidens, & in anima, non est facile determinare: nam si dicatur esse per se, cùm priuatio sua natura sit non ens, sequitur non ens esse principium entis, quod videtur absurdum ponere, si dicatur esse per accidens, sequetur transmutationem posse fieri absque priuatione: quia quod est per accidens, potest non inesse, vt patet ex natura, & diffinitione accidentis, quod est contra veritatem, & Arist. 1. phisi. Hanc difficultatem videns Auer. 1. phisic. comment. 6. 9. conatus fuit sic ei satisfacere, nimirum ponendo in ipsa priuatione duplicem respectum, scilicet, vel ad res, vt fiunt, vel vt habent esse completum:

& tunc inquit, primo modo priuationem esse principium per se, quia res dum fit, habet aliquid formæ incompletæ; & propterea dicitur habere aliquid priuationis, cum tendat semper ad vlteriorem perfectionem, aliter non fieret, sed esset facta. Secundo autem modo vult Auerroes esse principium per accidens, & reddit causam, quoniam priuatio non est permanens in re facta: & quia videbat rationem superius adductam in contrarium: idcirco soluit ipse distinguendo de accidente; aliquod enim dicitur per accidens raro, quod potest non esse, & de quo concludit ratio. Alterum vero vocatur per accidens necessarium, & isto modo, ait, priuationem appellari principium per accidens, tamen necessarium, quia ad hoc, vt generandum generetur, est necesse, vt prius sui priuationem in materia supponat: sed vt dicam, quod sensio, ista Auerrois sententia mihi non placet: nam vtraque aduersatur Arist. 1. phisi. tex. 66. vbi asserit priuationem comparatam ad res naturales,

rales, dum fiunt esse principium per accidens, contrariatur etiam rationi. Siquidem res naturalis, vt est completa, indiget tantum forma, & materia, & non priuatione, cum hæc nullo modo conferat ad esse illius, vt subsistat, quare neque, vt sic poterit dici principium illius, neque valet, si dicatur conducere ad esse, quatenus non esset generata, nisi prius præfuisset priuatio in materia; quia istud verificatur de re, vt est in fieri, non in facto esse, quo modo priuatio non ex accidenti, sed per se ponitur principium ab Auerroe, & eò magis peccat iste Doctor, quia implicat dicere per accidens necessarium: siquidem idem simul esset, & non esset, & possibile fieret impossibile, quæ consequentia deducitur ex eo: quòd cum per accidens existens, contingat non esse, si ponatur in actu, contingit non esse: verum cum ponatur quoque necessarium, erit etiam necessariò, & sic contradictio verificabitur simul de eodem. Propterea acquiescerem pro nunc in hoc dicendi modo, scilicet, priuationem dupli-

plici-

pliciter posse considerari, vno modo, vt vtar verbis subtilium, pro suo fundamento, merito cuius est ens in re, quod est materia: nam, vt diximus supra, priuatio de sui natura, vltra carẽtiam formæ, denotat quandam aptitudinem, quæ nihil aliud est, nisi ipsamet materia realiter eadem cum ipsa priuatione, quia hæc semper illi est annexa. Altero modo potest considerari pro suo formali, & sic est ens in anima, iusta quẽ sensum arbitror fuisse locutum Arist. 1. phisi. tex. 75. quando dixit. Priuatio per se esse non ens, & Auerroem infra eodem libro com. 79. dicentem priuationem non esse accidens, ne dum substantiam, tunc dicerem quod si primo modo capiatur priuatio, vtiq; est per se principium generationis: nam quod ab intrinseco est pars rei, & attinet ad quodquid est huius, est principium per se illius, sed priuatio pro forma in subiecto est huiusmodi, quia quod generatur constat ex his tribus, puta materia, forma, & priuatione, vt ostendit Arist. primo phisic. ergo, &c.

In-

Insuper cum priuatio, vt sic ingrediatur diffinitionem generationis: nam dicitur ab Arist. quinto phisic. tex. 7. generationem esse mutationem de non esse ad esse; tale autem non esse non est nisi forma à subiecto expellenda, igitur priuatio, vt talis erit principium per se illius, sicut etiam corruptionis propter eandem rationem; cum corruptio sit mutatio de esse ad non esse. Sed si secundo modo capiatur priuatio, tunc dico quod ista dicetur principium per accidens, quia cum causa entis positiui, debeat esse positiua, & realis, qualis non est priuatio, vt patet ex dictis; idcirco priuatio pro suo formali, non erit principium reale, neque per se quod potest confirmari ex eo, quod vt res se habet ad esse, ita ad esse principium: sed priuatio non est ens in re, nisi ex accidenti; igitur vt sic dicetur esse principium, & secundum hanc acceptionem crederem ego intellexisse Arist. primo phisicorum textu sexagesimo sexto quando dixit. Priua-

tio-

tionem esse principium per accidens. Neque obstat si dicatur mutationem posse sic fieri sine priuatione; nam secluso omni opere, intellectus adhuc generatio, & corruptio essent, cum iste sint mutationes æternæ ad mentem Philosophi 2. de gener. & corrupt. quandoquidem absque ista fierent mutationes ex formis oppositis ad formas oppositas cõtrarietate analoga. Quare concludendo dico priuationem fundamentaliter esse principium per se, formaliter verò per accidens, intelligendo semper de re, quatenus est in fieri, & non in esse facto: nam hoc modo res non dependet à priuatione, & licet in materia semper sit priuatio, ita vt rei factæ quoque videatur esse coniuncta; non tamen est ea priuatio, quæ fuit id à quo generationis; sed altera, quæ erit principium, & id in quod corruptionis, ad esse rei nullo modo conducens; non enim materia sibi propriam determinat priuationem, sicut neque formam, sed veluti modo est sub vna forma, & modo sub alia, ita & de priuatione est

sen-

sentiendum. Vnde cum in seminis natura aduenit forma animalis; desinit tunc esse priuatio huius formæ, & inducitur priuatio formæ cadaueris Et si replicabitur per Arist. 1. phisic. tex. 50. dicentem, oportere prima principia semper manere, & consequenter priuationem nunquam desinere esse, sed permanere semper tandem numero, & æternam, cum ipsa sit vnum de principijs. Respondetur, sensum verborum Arist. non esse, quòd sit necesse principia debere manere æterna secundũ numerum, quia tunc expressè mentiretur, sed intendit in illis verbis dicere Philosophus, quod in omni mutatione necessariò, & semper illa reperiuntur, quia quamuis desinat vna priuatio, connascitur alia, & sic semper permanet tanquam principium, non tamen semper eadem numero, sed alia, & alia: nam si priuatio non cessaret adueniente forma, tunc duo opposita simul starent in eodem, quod fieri non potest. Et de se patet, & de priuatione quomodo sit principium

per

per se, & quomodo per accidens, hæc sint satis.

An priuatio sit principium vt agens, aut finis, vel vt materia, aut forma. Cap. XXIIII.

Videndum est modo de priuatione, an sit principium extrinsecum, puta agens, aut finis, vel intrinsecum, sicut est materia, aut forma, & clarum est esse intrinsecum; sed an vt materia, an vt forma, fuit antiqua dubitatio; quandoquidem aliqui volentes priuationem esse principium dispositiuum, ac reducentes omnem dispositionem ad materiam, & subiectum dixerunt illam esse principium, vt materiam. Verum isti decipiuntur, quoniam sic esset potius principium, vt agens: nam dispositiones introductæ ab agente in materia, agant, vt materia respiciat magis hanc formam, quam aliam. Propterea nos rectius sentientes dicimus ad mentem Arist. 1. phisic.

tex. 56. *Priuationem tam in generatione, quàm in corruptione concurrere ut formam: nam increpans ibi Philosophus Platone ponentem duo ex parte materiæ, & unum ex parte formæ, inquit non rectè fecisse, quoniam ad patiendum sufficit unum, sed ad agendum duo requiruntur: hæc autem duo non possunt esse, nisi forma, & priuatio, iuxta principia posita ab ipso, & sic priuationem ex parte formæ collocauit Arist. quod etiã fassus fuit infra eod. lib. tex. 68. quando dixit causam generationis, & corruptionis, esse præsentiam, & absentiã formæ: modo carentia formæ, est forma opposita, quæ dicitur priuatio; igitur priuatio erit principiũ, vt forma. Quod idem potest insuper confirmari ex definitione formæ, quæ nil aliud est, nisi id, quo aliquid constituitur in esse, & sine quo non potest esse; sed generatio dum res generatur, ideo fit, quoniam priuationem includit: nam si nihil priuationis, & oppositæ formæ haberet, non diceretur amplius generatio, quia*

iam complementum esset assequuta; ergo priuatio vt forma erit causa tam in generatione, quàm in corruptione: sed instabis forsan dicendo fieri non posse, vt priuatio sit principium duorum oppositorum, sicut sunt generatio, & corruptio, cum contrariorum effectuum causæ sint contrariæ: sed respondetur dicendo, vnam atque eandem causam vnico modo se habentẽ, vtiq; non posse esse causam oppositorum; sed diuerso modo non inconuenit, sicut contingit in casu nostro: nam licet priuatio sit causa generationis, & corruptionis, quæ sunt effectus contrarij; tamen non est eadem numero priuatio hic, & ibi; neque eodem modo se habens, sed alia, atque alia; etenim priuatio est causa generationis, quatenus est id à quo istius, dicitur postea esse principium corruptionis, vt est id in quo eius; & ita diuersa est vtrobique, & non eadẽ priuatio, & sic ratio nihil concludit: restat pro cõplemento sermonis de priuatione videre quomodo ipsa distinguatur à materia, quod ostendã in capite sequenti.

Quo-

Quomodo priuatio distinguatur à materia. Cap. XXV.

QUoniam dictum est supra, priuationem realiter non distingui à materia, & illam non esse præter hanc, idcirco superest nobis videre, quomodo ista distinguantur ad inuicem: proinde est sciendum, differre primò ratione, quoniam diuersa est vtriusque ratio, seu definitio: siquidem ratio materiæ est esse potentiam formæ receptiuam, & subiectum, ex quo fit aliquid, cum insit per se, & non secundum accidens, sed definitio priuationis est carentia formæ in subiecto apto nato istam habere. Differt amplius, quoniã teste Arist. 1. phisi. tex. 60. Priuatio in generatione recedit adueniente forma, & non fit pars rei generatæ. Materia verò permanet, & fit subiectum nouæ formæ. Vlterius materia suapte natura appetit suscipere formam, atque huic semper

subesse. Priuatio autem nequaquam, quia sic appeteret sui ipsius corruptionem, si formam appeteret, modo nil agit contra se ipsum. Insuper solet ex communi vsu loquendi priuationi dari aduerbium ex etenim dicimus album fieri ex nigro; materiæ verò dari hoc, & ex quo: nam dicimus hominem fieri hoc, putà album, & rursus hominem fieri ex homine tanquam ex quo: & si videatur aliquando accomodari vtrumque vtrique, id fiet ex accidenti, quatenus scilicet materiæ semper est iuncta priuatio, & è conuerso, vnde fit, vt materiæ ratione annexæ sibi priuationis donetur aduerbium ex, sicut datur priuationi aduerbium hoc, ratione materiæ, cui est iuncta semper. Et de priuatione quid sit, & quæ eius natura. Rursus quomodo sit principium tam in generatione, quàm in corruptione, & tandem quomodo à materia distinguatur, satis abunde dictum puto. Remanet videre de forma, quod explicabo breuiter in sequenti capite.

De

De forma. Cap. XXVI.

FOrmam esse principium rerum naturalium, vltra quod Arist. satis luculenter monstrauit in his, quæ scripsit de natura, præsertim 1. & 2. lib. phisic. Est etiam de se notissimi iuris apud omnes philosophantes, ita vt nulla vnquam apud ipsos de hac re exstiterit dubitatio: imo non solum forma dicitur principium, sed & magis, & maxime tale, cum ipsa sit tanquam scopus, ac tota naturæ intentio, vt dicebat Alexander 2. phisic. super text. 28. quod etiam nomen ipsum demonstrat; quandoquidem appellatur forma, quasi formans rem, atque hanc perficiens, dum tribuit ipsi actum, & vnitatem subsistentiæ, vnde solet aliquando vocari forma sub nomine actus; & in tantum forma dicitur actuare, vt vel formæ artificiales, vt tales, licet sint accidentia, dicuntur dare actũ, & constituere res artificiales, teste Auerroe 2.

phisic. com. 13. Verum de naturalibus loquendo, & quæ sunt substantiæ, dictæ ab Arist. 2. phisic. tex. 28. species, & exemplar; & vltra, ratio, ac quod quid est rei, hæ propriè sunt rei complementum, atque perfectio; imò principium etiam in tali re totius operationis: signum nanque formæ est operatio, sicut passio materiæ, dicebat Auer. in lib. destruct. disput. 6. ad sextum, & disput. 10. ad secundum, quod in genere de omni naturali forma est intelligendum. Quam definiens Arist. 2. phisi. tex. 3. dixit propterea ipsam esse principium motus, & quietis eius; in quo est, primo, & per se, & non secundum accidens. Hæc forma est illa melior natura, quæ apud Poetam fuit, quem dixere Chaos, litem diremit; siquidem ipsa est, quæ separat, & distinguit, teste Arist. 7. metaphysi tex. 49. nam in fundamento naturæ, quod est ipsa materia, nihil est distinctum, vt ait idem Philosophus primo metaphy. tex. 17. Et si videtur materia secunda esse distinctiua, tamen rectè consideranti apparebit,

bit, id habere à forma cui est coniuncta, cum ista sit, quæ est principalis, ac prima ratio distinguendi. Et quamuis dicantur materiæ esse diuersæ, tamen istud contingit, quia sunt ordinatæ ad diuersas formas. Est nanque materia propter formam, non forma propter materiam, vt scribis Arist. in phisic. tex. 91.

Et de principijs uniuersi hæc sint satis.

INDEX PRINCIPALIVM CONCLVSIONVM.

Quæ examinantur in libro de Principijs vniuersi.

De Deo primo principio vniuersi.

11 Noui-

De prouidentia Dei ad mentem Philosophi.

4 Idcir-

contin-

De elementis.

De

De reactione.

1 Reactio fit in omni agente naturali, & corporeo, existente in debita sphera suæ actiuitatis, debitaq; proportione virtutis agẽtis in quo sit actus, & potentia, quod communicat in materia cum passo.

2 Quam non priuatiuam ponimus, vt aliqui volunt, sed verè positiuam ad mentem Arist.

3 Amplius quòd fiat ratione eiusdem qualitatis, non diuersæ, vt multi existimarunt.

4 Neque credẽdum est cum aliquibus, agens agere secundum totum, repati verò secundum partes.

5 Sed & totum, & partes in agente, facere, & pati diceret Aristoteles.

De materia prima.

1 Materiam primam esse primum principium, ex quo omnia fiunt, & vltimum

in

in quod cuncta dissoluantur, clarè habetur in doctrina Aristotelis.

2 Idcirco valde errarunt illi, qui dixerunt illam nō esse necessariam pro rerū generatione,

3 In qua materia esse actum aliquem, nulla ratio potest persuadere.

4 Propterea fictitium est ponere in ipsa formam illam genericam substantialem coæternam, aut actum entitatiuū, cum omnis actus fit à forma specifica.

5 Ignis namque eadem forma est ignis, & corpus, cum esse generis sit in speciebus, & proinde forma generica realiter non distinguitur à specifica.

6 Neque ideirco formarum creationem admittimus, si nihil de istis præsupponimus in materia.

7 Quæ licet habeat esse à forma, tamen non datur vnquam hæc sine illa, cum ex materia educatur forma, & in illa recipiatur semper.

8 Hinc fuit versum in dubium, an materia possit dici pars quiditatis.

9 Quam materiam primam esse ens in pura potentia, rerū transmutatio fecit cognoscere.

10 Pro-

tra animam cogimur tueri.

5 Quamuis nobis non aduersabimur, si illam esse ens in anima, & principium per accidens dixerimus.

6 Verum dum ponitur principium per se, & extra animam, non tamen extrinsecum, puta vt agens, aut finis, sed intrinsecum censendum est esse.

7 Et cum sit tale, non dispositiuum, & tanquã materiam, sed veluti formam concurrere, putauit Aristotiles.

8 Quæ priuatio non est censenda materiæ coæterna, cum sit corruptibilis ad sensum.

9 Neque ob id male dixit Aristotiles, scilicet oportere principia manere semper.

10 Vnde hallucinati sunt illi, qui posuerunt priuationem vniuersalem materię primę coęternam.

De forma.

1 FOrmam esse principium rerum naturalium, est notissimi iuris apud omnes philosophantes.

FINIS.

AD PIVM LECTOREM.

MARCVS MELIORATVS.

NE ſcandalizeris queſo (Pie lector) ſi dum ſcribo de Dei efficiẽtia, ſuaq́. prouidẽtia erga vniuerſum, videor recedere à Chriſtiana veritate: nam loquendo, vt eſt in homine, vt proteſtatus ſum, ſic cogor ſentire, quia ſic docet humana ratio, atq; ita ſuadet ſtulta huius Mundi ſcientia. De reliquo altius credens in lumine fidei, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, firmiter teneo, Deum eſſe creatorem cæli,

& terræ, cunctisq. rebus ita proui-
dere, vt vel capilli capitis nostri sint
numerati, neque decidat aliquis sine
suo permissu; pro qua veritate tuen-
da, vna cum aliàs, quæ iubet, & cre-
dit Catholica, & Apostolica nostra
Mater Sancta Romana Ecclesia, pa-
ratus sum, si oportuerit, & in carce-
rem, & in mortem ire, ita est, ita
est, ita est; & Deus qui noscit corda
hominum, scit, quod verum est te-
stimonium meum, pax tecum, & va-
le in Domino.

MARCI MELIORATI VTILE EXAMEN.

De prima sphæra an sit in loco.

Ardua quæstio fatigauit olim principes viros in Philosophia, quoniam ad affirmationem contingit ire in infinitum in locis, & locatis; ad negationem verò sequitur dari corpus sine loco, vtrumque absurdum, & conueniens, ita vt qui cupit vitare carybdim, incidat in scillam. Themistius, quem insequutus fuit D. Thomas credens tangere vtrumque, dixit primum mobile locari equidem, sed non per locum extra suum conuexum: nam supra hunc non datur plus vltra progredi; sed per partes subtus ipsum existentes, nimirum ad superficiem conuexam Saturni, quæ est ipsi contigua ad partem curuam, à qua etiam tanquam à suo loco contineri ait sphæra Saturni, & sic deinceps. Quæ sententia vide-

tur eſſe de mente Ariſt. 4. phiſi. tex. 48. vbi ait. Cœlum autem ſicut dictum eſt, non eſt alicubi totum in vllo loco. Siquidem nullum corpus ipſum continet; ſed ſecundum quod mouetur, ſic & locus eſt partibus, & ob id cum moueantur partes primæ ſphæræ circa ſuperficiem Saturni, ratione huius dicetur eſſe in loco. Verùm hæc opinio loci naturam deſtruit: nam locus teſte Ariſt. 4. phiſ. tex. 35. debet continere corpus locatum, modo conuexum Saturni continetur potius à primo mobili, quam contineat; ergo erit potius locatum, quam locus. Amplius locus non debet eſſe maior, neque minor re locata; ſed huic æqualis, vt de ſe patet; ſed conuexum Saturni non eſt æquale cum prima ſphæra; ergo non poterit eſſe locus huius, & tandem ſi per conuexum Saturni primus Orbis eſſet in loco, tunc locus, & locatum eſſent omnino idem, patet conſequentia, quia ſphæra Saturni ſecundum ſuam ſuperficiem conuexam, eſt locus vltimæ ſpæræ per Themiſtium: & cum ab

hac

hac eadem contineatur tanquam in loco, igitur sequitur vt supra; quod est inconueniens asserere; Neque adducta Arist. authoritas quicquam fauet Themistio, quia ibi Philosophus per cælum non intelligit primum Orbem, sed potius aggregatum ex omnibus Orbibus, & vniuersum ipsum, vt etiam exponit Auer. eodem libro com. 43. quod ait locari per partes, quæ sunt ipsamet corpora cælestia intra primum Orbem contenta; vnde inquit ibi Arist. altera enim partium alteri adherens est, quia vnus Orbis est contiguus alteri, & ideo harum partium verè est locus: non tamen ita, vt per has primum mobile dicatur locari, quod nunc intendimus inuestigare; quæ expositio est valde consona verbis Philosophi 4 phisic. tex. 43. vt patet rectè intuenti textum illum. Quare relicta opinione Themistij tanquam erronea, videamus quid dicat Auer. in tali quæsito. Hic vir, quem præ cæteris semper magnifeci in Philosophia, etiã & ipse in hac re cecutiuit, dicendo primam sphærã,

quia mouetur circa centrum; idcirco rationes huius locari per accidens, tamen, quatenus locatur per centrum, quod per se est in loco. Quæ sententia videtur & ipsa habere fautorem Arist. 4. phis. tex. 45. aperte dicentem: Cælum locari per accidens, modo quod locatur per accidens non est nisi ratione illius, quod per se est in loco, & cum non possit esse ratione partium, vt dictum est supra contra Themistiũ; ergo erit ratione centri, cum aliud non detur: quod etiam videtur posse confirmari ratione, quoniam licet motus localis fuerit principium speculationis de loco; tamen quies ipsa existens finis, & perfectio dicitur esse quodammodo locus, & magis, vt videtur insinuare Arist. 5. phisic. tex. 54. & ibi clarius Auerroes in commento. Siquidem locus datus est magis propter naturalem quietem, quam propter motum, & exinde fit, vt quod est alicui causa quiescendi, principalius dicatur esse causa essendi in loco, quam illud quod est causa motus, vt talis, modo

cum

cum centrum sit causa; quare primum mobile videatur quiescere, hoc est non mutare locum secundum totum, sed quasi manere fixum, ex quo semper est cum aequali distantia ad ipsum centrum; idcirco bona ratione videtur dictum ab Auerroe primam sphaeram esse in loco per centrum; sed haec nullius sunt momenti pro tuenda Auerrois sententia: nam vltra quod ex dictis contra Themistium potest redargui talis opinio, puta quia centrum non est aequale primo mobili, neque istud continet, sed potius continetur, vt clarum est, redarguitur etiam ex eo, quia dicit locari per accidens: nam sic contingeret non esse in loco, per conditionem accidentis, & consequenter non moueri, quod dici non potest; quandoquidem teste Arist. impossibile est, caelum quiescere, aliter mundi machina destrueretur. Insuper cum neque caelum, neque centrum vni tertio per se insit, quod per se locetur, ad cuius deinde locationem, dicantur locari caelum, ac centrum: neque rursus

caelum

cælum accidat centro, cum non sit accidens, vt patet: & amplius neque cælum dicatur de centro, cælo postea centrum accidat, quibus tribus modis aliquod dici per accidens, testatur Arist. 5. metaphysi. tex. 13. & nullo istorum possit dici cælum locari per accidens; igitur prima spæra ex accidenti non erit in loco. Neque allegata Arist. authoritas quicquam facit pro Auerroe: nam ibi Philosophus per locari ex accidenti intellexit, quod ex propria natura non locatur, sed est veluti pars in toto, modò non est idem esse in loco, & esse in toto, vt monstrat idem Arist. 4. phisic. tex. 32. & pro- terea infra tex. 45 dat exemplum de anima, quæ cum sit simplex substantia, non dicitur locari in corpore, sed esse in hoc tanquam in toto, cum sit pars, & forma corporis viuentis. Vlterius dato, & non concesso, quòd anima sit in corpore viuente, tanquam in loco, poterit vtique ipsa dici locari per accidens, quoniam corpus viuens, cuius anima est pars, locatur per se. At non est sic de vniuer-

so; cuius prima sphæra est pars; quia illud non locatur per se. Possemus etiam glossare, vt supra contra Themistium, scilicet; quòd per cælum intellexit Arist. vniuersum ipsum, quod cum non possit locari per se, quia extra illud non datur aliquod continens, ad quod possit moueri, dicatur locari per accidens, ratione partium, quæ sunt sphæræ Planetarum, & elementa, quæ omnia sunt partes integrantes ipsum vniuersum, & quæ verè, ac per se sunt in loco, & certè est optima glossa. Confirmatio postea adducta pro Auerroe nulla est; quia licet omne quod mouetur, ideo moueatur, vt tandem acquirat locum, in quo quiescat; & consequenter quies sit finis motus; hoc tamen dici non potest de primo mobili, cum istud nunquam à motu desistat, & sic per centrum quiescere non potest. Et si aliquis replicaret pro Auerroe, ipsum non intelligere totalem quietem, quia tanquam summus Philosophus optimè sciebat cælum non posse ita quiescere, sed bene velle intelligere quandam

dam immobilitatem secundum totum subiectum, quatenus ut sic non mutat locum, tunc Averroes non habebit suum intentum: nam dicere cælum per centrum fieri immobile secundum subiectum, est dicere cælum non locari, cum illa tantum dicantur locari, quæ prius fuerunt mota; neque illud, quod est causa, quare aliquod sit immobile, dicitur esse locus illi rei. Ultra quod neque centrum vere potest dici causa [illegible], quia cum cælum sit prius naturaliter centro, eveniret ut posterius esset causa prioris, quod est absurdum. Quapropter omissis [illegible] istis magnis alioquin viris eorum ipsorum opinione, dicendum cum Alexandro primam sphæram nullo modo locari, neque per se, neque per accidens, neque per partes, neque secundum totum, postquam supra primum immobile non licet progredi plus ultra, [illegible] quod si per impossibile [illegible] primam sphæram [illegible] non posset [illegible]

Deus, & naturalem diceremus iubente ordine universi, quod melius fieri non potest quam factum sit, & cum adducitur inconveniens, nimirum dici corpus absque loco, fieri id apud Alexandrum non haberi absolute pro absurdo; quoniam, ut inquit ipse, locus non est de essentia corporis, cum non accipiatur in eius diffinitione, neque corpus in diffinitione loci: quare cum insit accidentaliter, poterit utique corpus esse sine loco, ex conditione naturae accidentis. Et si replicabitur locum esse de necessitate rei mobilis, non corporis, ut videtur improbasse Averroes contra Alexandrum in fin. com. libri phisic. Et si tamen moveatur per se prima sphera, erit quoque per se in loco, aut saltem per accidens. Respondeo quod Averroes volens reprehendere Alexandrum ipse est dignus reprehensione: nam cum asserat Averroes primam spheram moveri per se, quomodo postea tenet hanc locari per accidens contra regulam Arist. l. priorum dicentem; quod quando ad antecedens sequitur

tur conſequens eſſe, tunc idem vtrobique additum ſemper ſequitur idem: unde ſi ad motionem corporis ſequetur quod ſit in loco; igitur ad motionem eiuſdem per ſe, ſequetur quòd per ſe erit in loco: ſed cum teneat Auerroes primam ſphæram eſſe in loco per accidens, etiam per accidens mouebitur, per aliam regulam, quæ dicit, quando ad antecedens ſequitur conſequens, tunc ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitũ antecedentis; quare ſi ſequitur hoc eſt in loco per accidens, ergo non mouetur per ſe in loco, tunc ex oppoſito ſequetur, hoc per ſe mouetur, ergo per ſe eſt in loco: nihil igitur concludit Auerroes aduerſus Alexandrum, niſi velit dicere primam ſphæram moueri per accidens, quod eſſet magis erroneum ponere, vt de ſe patet. Ad rationem poſtea adductam in oppoſitum, ſcilicet, quod locus eſt neceſſarius ad rem motam, veluti eſt primum mobile, quod mouetur, & maximè. Reſpondetur de mente Alexandri, quod eſſe in loco non eſt conditio ſimplici-

ter

ter necessaria ad omnem corporis motionem, sed solum ad illam, quæ fit secundum lationem rectā, sicuti est motus grauium, & leuium, vt videtur affirmare Arist. 4. phisic. tex. 30. vbi dicit omnem locum habere sursum, vel deorsum, quasi velit dicere, nullum esse appellandum locum, præter illum, ad quem itur per lationem rectam sursum, vel deorsum; neque potest replicari quod ibi loquatur Philosophus tantum de motu elementorum, quia dicit omnem locum; modo qui omne dicit nihil excludit; & ideo sapienter Simplicius 4. phisic. dicebat de ratione corporis, vt sit in loco, duas requiri conditiones, vna est vt habeat continens extra ipsum, altera vt sit mobile secundum lationem rectam; quæ conditiones cum non reperiantur in primo mobili; idcirco non poterit dici esse in loco, licet semper moueatur; quia motio sua non est translatio de vno loco ad alium locum diuersum; sicut fit in translatione in qua terminus à quo, est diuersus à termino ad quem; sed in primo

mo-

mobili sit potius quidam circulus ab eodem puncto in idem, & ob id non debet videri mirum si ad suam motionem non sequatur esse in loco. Verum hic Auerroistæ multa aduersus nos inculcant; & primo falsum esse asserunt, motum primæ sphæræ non appellari lationem, quoniam Arist. 4. phisic. tex. 109. appellat motum cæli lationem regularem. Et alibi diuidens motum localem, inquit, quòd omnis motus, qui est in loco, quem lationem appellamus, aut est rectus, aut circularis, aut mixtus; vbi vt patet motum circularem inter lationes enumerat. Secundo inquiunt etiam assumi falsum dum dicitur, motionem illam circularem non variare loca, quia quæ maior variatio termini à quo ad terminum ad quem, potest fieri in alijs lationibus, quam illa quæ fit in motu primi mobilis, scilicet ab Oriente in Occidens, nulla equidem. Tertio, inquit Auer. 4. phisic. com. 45. sufficere vltimam sphæram mutare locum secundum formam, si non secundum subiectum: nam vtroque

que modo ait tantum mouentibus se motu recto competere, & hoc ostendit ipse esse de intentione Arist. 6. phisic com. 85. Quarto & vltimo loco adducunt isti Arist. 4. phisic tex. 32. vbi ad verbum scribit, non quæreretur vtique locus, si non esset aliquis motus secundum locum: propter hoc enim, & cælum maximè esset in loco putamus, quia semper est in motu; sed neque ex his reijcitur opinio Alexandri; vnde ad primum dicimus Aristotilem impropriè ibi appellasse motum circularem lationem: etenim cum careret proprio nomine appellauit illum sic nomine communi, vt manifestè testatur idem Arist. quinto phisic. tex. 18. quando formaliter scribit hæc verba. Quia motus secundum locum proprium, & communem innominatus est, ideo vocetur latio communi nomine, quamuis dicantur ferri hæc sola propriè, & per ly hæc, intelligit quatuor corpora simplicia, vt etiam exponit Auerroes ibi in commento, quare Arist. fauet Alexandro

dum apertè fatetur lationem propriè dici de grauibus, & leuibus, & si de alijs motibus reperitur dictum id communiter, & impropriè satis dici declarat. Ad secundum respondetur variationem locorum, putà ab Oriente in Occidens repertam in primo mobili esse potius respectu nostræ considerationis, quam ipsius motus circularis, qui in se non intendit oriri, neque occidere; sed ita dicitur apud nos manens, non enim quiescit in Occidente, ita vt dicatur ibi fuisse adeptum locum, sicut contingit verè latis in locum, sed incessabili motu circuet per omne æuum, & ob id cum moueatur semper vniformiter circa eundem locum, non potest dici vere ferri secundum locum: neque obstat, quod tertio argumento fuit adductum per Auerroem, nimirum fieri in primo mobili saltim variationem secundum formam, quia requiritur etiam illa, quæ est secundum subiectum, ad hoc vt dicatur propria translatio, & ad lationem corporis vt sic sequitur mobile esse in loco;

&

& non aliter; tandem respondetur ad vltimum dicendo Philosophum ibi loqui de cõmuni vsu hominum, & secundum quod vulgares loquuntur, & non ex propria sententia credunt: siquidem homines locum esse vnum entium, propter motum rei in loco, & quia vident cælum moueri, ideo existimant ex hoc, ipsum esse in loco; vnde quia dixerat Arist. motum ducere nos ad cognitionem loci, vt etiam vulgarium hominum testimonio id comprobaret, dixit, ob id putamus cælum maximè esse in loco, quia semper est in motu; sed in rei veritate res aliter se habet: nam vt dicebat ibi Auerroes, cælum habere locum, latet & exinde Zenò negauit ipsum moueri: & hæc habeo pro nunc quæ scribam de præsenti quæsito si melius occurret in futurum, melius dicam, quia vt ingenue fatear, neque in his mihi plenè satisfacio, & propterea qui potiora nouit, addat, & ei gratias agam ingentes.

MARCI MELIORATI
DILVCIDATIO PVLCHRA
Super quæsito de primo cognito.

IN hoc quæsito stulti facti sunt Philosophi, cæci corde, & diminuti in natura, dum non erubescunt, profitentes ipsi rerum omnium se tenere scientiam, ita postea dubitare, vt ignorare videantur, quid primò cognoscatur ab ipsis. Res equidem plena risu, ne dicam turpitudine. Quare conandum est pro istorum resipiscentia, simulq; prouidendum, si cum aliquo salubri Medicorum, Recipe, possit reddi lumen cæcis istis: quod facilè posse fieri confido, si rei naturam, quæ neminem confundi patitur, ducem insectemur: & ne æquiuocatio nos decipiat, cum vis nostra cogno-

gnoſcitiua ſit duplex; videlicet ſenſitiua, & intellectiua, ob id duplex neceſſariò venit nobis examinanda quæſtio de primo cognito, vna ſcilicet apud ſenſum, altera verò apud intellectum. Expoſcit autem ordo noſtri modi cognoſcendi, vt loquamur prius de ſenſu, tanquam de eo à quo omnis noſtra cognitio videtur ſumere exordium, maximè de ſublunaribus loquendo. Et vltra quia determinatio huius, deſeruiet multum determinationi de primo cognito apud intellectum, exordiamur ergo videre de ſenſu.

De primo cognito apud ſenſum.

OMiſſis aliorum ambagibus, colligo ego veritatem quæſiti de primo cognito apud ſenſum ex quibuſdam breuiter notatis, & ſuppoſitis, quorum primum eſt, ſenſum per Ariſt. tertio de anima, non niſi ſingularia apprehendere

quæ ſunt in duplici differentia: nam quædam ſunt generis generaliſſimi, vel ſubalterni tam de prædicamento ſubſtantiæ, quàm accidentis; quædam vero ſpeciei pariter ſubſtantialis, aut accidentalis. Secundum notãdum eſt huiuſmodi ſingularia quędam eſſe ſignata; & quædam vagha. Tertium, quod indiuiduum vaghum quia in plura ſe extendit, quàm ſignatum, eſt enim hoc album aliquod album, & non è contra, propterea illud eſſe veluti quoddam totum reſpectu huius: Quartum ſuppoſitum eſt; noſtrum modum cognoſcendi procedere ab imperfecto ad perfectum, & à confuſo ad diſtinctum, ſicuti eſt illa cognitio, quæ fit à toto, ſeu habente rationem totius ad partes, vt monſtrauit Ariſt. in prohæm. 1. phiſ. exemplo puerorum, qui à principio appellãt omnes homines patres; poſtea vigoratus illorum intellectus, vt inquit Auerroes, determinat hunc hominem eſſe patrem. Quintum notandum eſt, illud prius mouere ſenſum ad cognoſcendum, quod eſt in actu: nam per

Ariſt.

Ariſt. 3. phiſic. tex. 17. quod mouet debet eſſe in actu. Sexto eſt ſciendum ſingularia generis non habere actum ſubſiſtendi niſi in ſingularibus ſpecierum, unde dicebat Ariſt. in prædicamentis capite de ſubſtantia, quod demptis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere. Septimò eſt accipiendum obiecta cognoſcibilia à ſenſu eſſe in triplici differentia: nam quædam ſunt propria, ut tactui, caliditas, & frigiditas, viſui, album, & nigrum, & ſic de cæteris, in quibus per Ariſt. 2. de anima tex. 63. non poteſt cadere deceptio, ſtantibus tamen conditionibus poſitis à Themiſtio, putà debita obiecti diſtantia, medij diſpoſitione, & ſenſiterij: aliqua poſtea ſunt ſenſibilia communiter dicta, quoniam à pluribus ſenſibus percipi poſſunt, non tamen per ſe, ſed medijs proprijs ſenſilibus, in quibus contingit errare, ut docet Ariſt. 2. de anima tex. 65. tandem ſunt ſenſilia dicta per accidens, à Philoſopho, eodem 2. libro de anima, & ſunt induidua ſubſtantiæ, quæ per

se non cadunt sub sensum, sed ratione suorum accidentium, ut ibidem ostendit Arist. Ultimo loco est notandum, sensitiuam vim primo, & per se cognoscere proprium sensile, quod est qualitas tertiæ speciei; deinde cætera sensilia tam communia, quia per accidens, & ratio est fundata in regula posterioristica, quæ ait: propter unumquodq; tale, & illud magis: modo si sensus cognoscit cætera sensibilia, per propria; ergo hæc primo, & magis cognoscet. Quibus omnibus sic præacceptis, atq; prælibatis, recipe nunc singulare speciei accidens de tertia specie qualitatis signatũ, sub ratione tamen vagha, misce secundum artem cum suis notatis, & cũ luto sapientiæ, fac emplastrum, pone super oculos istorum cæcorum mirabile dictu: qui erant cæci statim videbũt tale singulare esse primo, & per se cognitũ a sensu nostro; cætera verò sensilia secundario. Deinde recipe rursus singulare speciei substantiæ signatum, sub ratione tamen vagha, fac similiter secundum artem cum suis notatis, & applica ut supra,

pra, & continuò qui prius erat in tenebris, videbit tale singulare, non per se, sed per accidens cognosci primò à sensu, quam singulare generis. Verùm videor videre educatos sub malis praeceptoribus proseruire in hoc Recipe, dicentes prius singulare generis cognosci à sensu, quam singulare speciei, quoniam illud est totum respectu huius; siquidem hoc includitur in illo, & non è conuerso, vt patet. At isti non facientes debitam mixtionem sui singularis cum suprapositis, ad pauca respicientes, sic de facili enunciarunt: propterea dicimus nos, quod licet à toto ad partes fiat progressus primus in cognoscendo, non tamen ab omni toto; sed ab eo, quod potest mouere sensum ad sui cognitionē, quale non est singulare generis, quod quamuis sit totũ, & magis quam singulare speciei, vt bene dicunt ipsi in hoc; tamen quia nō habet actũ nisi in alio, & per aliud, ob id nō potest excitare sensum primo, sed secundario, nimirũ ad excitationē illius in quo est, q̄d est singulare speciei, vt fuit assumptũ superius in

quin-

quinto, & sexto notando Quod si replicantes, velint probare idem, sumpto exemplo ab eo, quod à longe prospicitur prius enim vt aiunt, videtur esse aliquod corpus, postea quia mouetur, esse quoddam animal, iterum factum magis propinquum, quod sit aliquis equus, aut aliquis homo, tandem, quod sit Rabicanus, aut Socrates, & sic velint concludere, cognitionem in sensu initiari, à singulari generis, & terminari ad singulare speciei. Respondetur falsum esse, primò videri corpus à sensu visus, cum substantia per se non videatur sed quatenus est amicta aliquo colore, & sic visus noster statim fertur in proprium sensile, putà in aliquod album, aut nigrum, illi corpori inhærens, & non inmediate in corpus illud; & si exinde appareat inspici aliquod corpus, & postea aliquod animal, hoc non contingit nisi ratione multæ distantiæ inter obiectum, & visum, quæ distantia est impedimento potentiæ visiuæ ne possit apprehendere formam, aut figuram circa illud

corpus

corpus conſtantem, de quo modo cognoſcendi non intenditur in quæſito, quia ſic cognoſcere, eſt valde remotè cognoſcere, & in potentia ſatis longinqua; ſed debet intelligi de obiecto in tali diſtantia poſito, vt poſſit ſaltim iudicari de forma, ac figura talis corporis, ſub qua ſpecie reperiatur, equinane, an humana vel alia, & hanc ſine dubio ſenſus viſus poſt proprium ſenſile, cognoſcet ad figuram eſſe aliquem hominem, vel aliquem equum, dico in eſſe ſignato, quia aliter non reperitur, quamuis vt ſic non moueat ſenſum, ſed alia ratione ſuperius notata, & confirmatur iſte modus dicendi ex eo, quod res ſicut ſe habet ad eſſe apud nos, ita ſe debet habere ad cognoſci, modo in compoſito prius apparet accidens, poſtea ſubſtantia prima, cui inheret, demum ſubſtantia ſecunda, quæ ineſt in prima, & dicitur de prima, cognita illa verè ſolo intellectui, & ſi ſenſui, non niſi valde per accidens. Quare vt ordo cognoſcendi apud nos ſit conformis rerum ordini apud nos exiſtenti, debet eſſe vt ſupra,

pra, & non alio modo. Cuius oppositum contingit dicere in modo essendi apud naturam, & cognoscendi, quando natura cognosceret. Et de primo cognito apud sensum hæc sint satis, videamus nunc de primo cognito apud intellectum, quod faciemus in sequenti capite.

De primo cognito apud intellectum.

PRo dilucidatione præsentis quæsiti est supponendum nos hic non loqui de intellectu in se manente, quoniam cum iste sit veluti vna intelligentiarum, ad harum instar intelligit per sui substantiam nullo alio intermedio existente necessario, vt in nostro Dialogo de anima abunde declarauimus, & tu illuc recurras, sed quæstio est de eodem intellectu nobis vnito, merito cuius vnionis valde recedit, à sua prima perfectione, ita vt non sicut prius sine alicuius interuentu intelligat, & quando vult, sed cogatur cognoscere intermedio sensu,

& ab hoc excitatus, & non aliter, ad quod respiciens Arist. dicebat, deficiente sensu, deficere scientiam talis sensilis, & vltra, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit sub sensu. Quæritur igitur apud intellectũ sic acceptum, quid primò cognoscatur an magis an minus vniuersale: de singulari namque apud me est quæstio vana, licet multi id ostendere conati sint, sed frustra, cum illud cognoscere sit facultatis sensitiuæ, non intellectus, vt alias à nobis ostensum est, & potest nunc breuiter patere ex eo, quod cum singulare sit quoddam sensibile; ergo non poterit esse intelligibile, quia sensus non est intellectus, vt patet, & ideo communiter dicitur, quod vbi desinit sensus, addas tu per inclusionem, ibi incipit intellectus per exclusionem. At sensus desinit in cognitione singularis per exclusionem vniuersalis, ergo ab isto, cum non cadat medium inter ipsa, statim incipit intellectus. Quare excluso singulari tanquam cognito à sensu, remanet quæstio apud intellectum de magis, & minus vniuersali, quod nã isto-

rum

rum primo ipsi cognoscendum occurrat; & quia talis cognitio dupliciter contingit esse apud ipsum, putà complexè, & incomplexè, hoc est demonstrando, vel definiendo, propterea vtrumque est à nobis dilucidandum. Pro quorum omnium notitia in primis est sciendum, vtrobique duplicem dari cognitionem, scilicet confusam, & distinctam, cognitio confusa rei deffinibilis, est cognitio quid nominis rei sine causa, appellata ab Auerroe dirigens primo poster. in principio, & in Epythom. logic. cap. de Rethorica demonstratiua, cognitio verò distincta est quæ habetur per causam, vt cum per proprium genus, & propriam differentiam distinctè cognoscimus deffiniendo: rursus cognitio confusa in doctrina demonstratiua, est cognitio confusa effectus sine sua proxima causa, dicta ab Aristotile demonstratio, quia proficiscens ab effectibus, & horum accidentibus: distincta autem cognitio, est notitia effectus per propriam, & immediatam causam, vocata ab eodem Aristotile, demonstratio

propter

propter quid, & ab Auerroe dans causam, & esse. Quibus sic declaratis, si quæratur modo, quid sit primò cognitum apud intellectum in his doctrinis, responderem loquendo de definitiua confusa, quod est minus vniuersale, putà species, quod probatur sic: cum enim sensus in cognoscendo desinat in indiuiduo vagho, quod est singulare speciei, à quo statim abstrahit intellectus, & inmediatè abstractum sit species, si quidem hæc est propinquior indiuiduo, vt patet, ergo species erit primò cognita intellectui: amplius probatur idem, quoniam illud vniuersale primò cognoscit intellectus, cuius singulare primò mouet sensum; namque dictum est supra intellectum non intelligere, nisi sensus excitet eum ad intelligendum, aliter de se non magis hanc, quàm illam speciem, sed indifferenter omnia cognosceret. At quod primò mouet sensum est singulare speciei, vt fuit monstratum supra in quæstione de primo cognito apud sensum, igitur vniuersale speciei primo apprehendet intellectus, & cum tale

vniuersale sit duplex, nimirum substantiæ, & accidentis: primò intellectus cognoscet vniuersale accidentis, deinde substantiæ; quia sic sensus procedit in cognoscendo, & subministrat intellectui, v. g. si visus nouerit aliquod album, intellectus primò album cognoscet; si sensus tactus aliquod calidum, intellectus calidum apprahendet, & sic de cæteris: mox ex specie accidentis cognita intellectus per vlteriorem indagationem discurrendo, cognoscet magis vniuersale: nempe, quod sit substantia, aut animal, sicut facit quoque sensus, licet modo difformi, quia ille vniuersaliori modo, & sine conditionibus indiuiduantibus, ac per se cognoscet, hic autem per accidens, & cum appendiciis materiæ: sed instabit aliquis authoritate Arist. septimo metaphys. tex. quarto vbi ait: substantiam esse priorem accidente, ratione, natura, cognitione, & tempore. Respondetur quòd verum est cognitione distincta, vide Zimaram theor. [illegible] de cognitione confusa non est ita; imò vt

sic,

sic; accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum, quod quid est, dicebat idem Philosophus primo de ani. tex. 2. & proinde in cognitione diffinitiua distincta dicimus, quod vniuersale magis est primò cognitum intellectui. Etenim cum definitum non possit apprahendi nisi prius partes ipsius cognoscantur, istæ autem sint genus, & differentia, ex Arist. secundo poster. cap. 17. & sexto topic. idcirco primo cognoscetur genus, mox istud diuidendo, fiet nota differentia, & sic in tali doctrina magis vniuersale erit primo cognitum: bene verum est, quod cum omnis doctrina ab imperfecto tendat ad perfectum, vt fiat conformis operi naturæ, quod dixit Auer. primo poster. comment 56. ob id est necesse, partes definiti prius confusè cognosci, vt quid nominis ipsarum cognoscendo, mox perfectè, ac distinctè cognoscantur. Hinc dicebat Arist. primo poster. tex. primo, omnem doctrinam intellectiuam fieri ex præexistenti cognitione, quod intelligas

O *velim*

velim tam in definitiua, quàm in demonstratiua. In illa quia necesse est præcedat cognitio quid nominis. In hac verò cognitio effectus absque sua proxima causa. In qua doctrina demonstratiua si quæratur quid sit primò cognitum, dicas esse effectum cum suis accidentibus, non magis, sed minus, vniuersalium nempe specierum quod comprobatur authoritate Arist. primo phisi. tex. 2: quando inquit, ex confusis causas fieri notas. Confusa autem sunt composita: & Auer. super tex. 5: dixit, quod sunt species, ex quibus earum causas cognoscimus. Quare in doctrina demonstratiua, quæ dicitur quia, species confusè cognita primò venit cognoscenda, & consequenter minus vniuersale; sed in demonstratiua propterquid, quia hæc est doctrina distincta: est namque cognitio effectus ex propria, & immediata causa, idcirco causa nota in primo processu ex accidentibus, hæc in secundo prius venit cognoscenda, modo ista est magis vniuersalis, non minus; ergo

in doctrina distincta magis vniuersale primo cognoscetur ab intellectu, de quo modo cognoscendi intellexit Arist. in initio primi libri phisic. quando dixit, ad perfectam cuiusque rei notitiam opus esse cognoscere primas causas, prima principia vsque ad elementa, & infra tex. 4. dicebat, ex vniuersalibus ad particularia esse procedendum, quod Auerroes, Themistius, & omnes fassi sunt. Quod si instaret aliquis dicendo nostram cognitionem semper procedere ab imperfecto ad perfectum. Dico quod est verum ad hunc sensum, scilicet, quòd in vtraque doctrina sic procedimus; nempè in diffinitiua à cognitione quid nominis, tendendo ad cognitionem quid rei; in demonstratiua à cognitione effectus, deinde ad cognitionem causæ supra effectum: prima dicta cognitio confusa, secunda cognitio distincta, & perfecta: quandoquidem tunc perfectè vnumquodque scire arbitramur, quando istud per suam causam cognoscimus, teste Arist. 1. poster. cap. de

ſcire, & 1. phiſic. in primis verbis. Verùm quòd dum ſumus in doctrina diſtincta, in hac eadem cognoſcamus confuſè, ſicut quando ſumus in confuſa, quod in eadem ſciamus diſtinctè, id fieri non poteſt; quia ſic eſſet implicare contradictionem. Et de primo cognito apud intellectum, quod nam ſit, & quomodo ſciatur, hæc ſint ſatis pro dilucidatione.

Imprimatur
Petrus V.G. Theatinus.

Fr. Laurentius Florentinus Ord. Eremitarum S. Auguſtini inter Theologos minimus, non modo hoc opus approbauit, ſed etiam tanti viri labores ſummopere laudauit, præſertim cum eius opinio ſit in doctrina Ariſtotelis, aliorumq. Philoſophorum fundatiſſima.

REGESTVM

A B C D E F G H I K L M N O

Omnes sunt folia integra
præter O.

THEATAE,
Apud Isidorum Facium, & Socios. 1596.

DD. Superiorum permissu.